Contents of vol.6

1. Taetz, Ferdinand De verborum compositorum apud Horatium structura 1885
2. Rowe, E. Quaeritur quo jure Hor. in sat. Menippum imitatus esse dicatur 1888
3. Jaffe, S. De personis Horatianis 1885
4. Bock, C. De metris Horatii lyricis 1880
5. Hanna, F. Ueber den apologet. Charakter d. Horaz. Satiren. 1878
6. Kiessling, A. Horatius 1881
7. Pircher, P.A. Horaz und Vida: de arte poetica. 1885

DE VERBORUM COMPOSITORUM
APUD HORATIUM
STRUCTURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FERDINANDUS TEETZ

PRIMISLAVIENSIS.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT CAROLUS COLBATZKY.

MDCCCLXXXV.

FAUTORI MEO BENIGNO

VON DER KLEYEN

HAS STUDIORUM PRIMITIAS QUALESCUNQUE

PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

His notis locos insigniam:

O. = odarum libros.
ep. = epodon librum.
c. s. = carmen saeculare.
S. = sermones.
Ep. = epistolas.
a. p. = artem poeticam.

Cum omnino de elocutione singulorum aevi Augustei poetarum satis magnam ad meditandum commentandumque materiam semper praebentium et de certis quibusdam rei grammaticae partibus apud praestantissimos illius aetatis scriptores quaestiones adhuc quam plurimae institutae sunt, tum praecipue Horatii carmina accuratissime pervestigata commentariisque uberrimis illustrata sunt, ita ut incipienti de ejus dicendi usu verba facere verendum videatur, ne „in silvam ligna ferat“ (S. I 10_{34}) neu frustra oleum et operam in perficienda commentatione consumpserit. Nihilo minus non paucae restant res, quas adhuc aut omnino neglectas, aut si in quaestionem vocatae sunt, non tam accurate tractatas video, ut indignae sint, ad quas iterum pertractandas animum intendamus. Atque ut qui in aedificio aliquo moliendo occupatus est, antea singula omnia saxa comportet necesse est, priusquam ad ipsam domum extruendam accedat, tum autem, cum omnibus quibus opus est rebus ornatus atque exstructus est, eo celerius ac melius inceptum opus ad exitum adducet, ita in Horatii carminibus versantes nisi singula quaeque quam diligentissime perquirendo verba tradita, qua sunt eximia dictionis arte quaque interpretationis difficultate, ad eam qua opus est integritatem perfectionemque non adducemus.

Quare ego de verborum compositorum usu scripturus spero opusculo meo non tam grammaticis illis studiis aliquid me profuturum, quae novissimis potissimum temporibus permulta instituta accuratam ab omnique parte perfectam linquae latinae cognitionem nobis subministrent, quam ad explicandam ipsius Horatii orationem pauca, quoad ejus facere possum, collaturum. Namque cum accuratius exploratum erit, quid unicuique scriptori proprium sit quidque cum aliis aut ejusdem orationis generis aut alius scriptoribus commune, tum eo facilius etiam alterum illum ut ita dicam studii grammatici campum colere poterimus neque ideo difficulter historiam habebimus orationis cum solutae tum poeticae, nempe scientes,

quali dicendi genere antiquiores scriptores, quali posteriores usi sint, ac quae alius pro alio ad linguam locupletandam et excolendam contulerit.

Sed jam dixi permultos Horatii et carminibus emendandis explicandis illustrandis et examinandae et persequendae locutioni adhuc vacavisse. Cujus alterius generis commentationes omnes hoc loco afferre opus non est; est enim largus earum penus, quae usque ad annum 1866 in lucem editae sunt, ab Ebelingio in opusculo „de casuum usu Horatiano“ (prgr. Wernigerode 1866) inde a pagina quarta enumeratus; sed addendae sunt hoc loco eae dissertationes, quae post annum quem dixi institutae sunt:

Neuss „quaest. Hor. gramm.“ diss. Monast. 70.

Wirtzens „gebrauch der praepp. in der stellung ἀπὸ κοινοῦ bei H.“ prgr. realgymn. Waidhofen 1875.

L. Unterberger „syntactische graecismen bei H.“ prgr. Brixen 1877.

Quarum quas secundo ac tertio loco attuli inspicere mihi non licuit.

H. Dittel „de dativi apud H. usu“ prgr. gymn. Landscron i. B. 1878, cui V. D., quod mihi opusculum benigne utendum tradidit, gratias hic ago quam maximas.

Barta „sprachliche studien zu H. sat.“ prgr. Linz 1879 & 81.

Jam vero de verborum compositorum structura pauca inveniuntur apud Ebelingium l. c., sed quae attulit tot repre-sensionis ansas habent ut vix altera commentatio eaque ratione quadam ornata supervacanea sit: Nam praeter manifestos errores mendaque, quorum partem jamjam Neussius detexit, alia quae in eo genere memorabilia in carminibus H. insunt, plane omittit.

Ex parte etiam Ulricus in commentatione sua „de verborum composs. quae exstant apud Plautum structura“ (prgr. schol. lat. Hal. 80) ea quae apud Horatium exstant tractavit. Sed ne ea quidem abunde quaestioni satisfaciunt. Nam ut accuratius de Plautino usu ageret, etiam ex aliis poetis ea elegit, quae comparationi apta putaret: at Horatianum usum diligentius neque investigavit nec voluit investigare.

Tertia hujusmodi commentatio Dittelii est, qui quia de dativi usu verba facit, etiam compositorum recte rationem habet et propterea locos ‚omnes ad unnum‘ (?), ubi tertium casum intellegendum putabat, collegit. Qua in re eum non solum aliquoties errasse infra videbimus, sed etiam praetermisit, quod a re proposita disjunctiora erant, ea omnino exempla, in quibus aut ablativus aut accusativus aut denique

praepositio scripta est; quare ne ea quidem quae protulit huic quaestioni ex omni parte sufficiunt. [1])

Sed haec hactenus; restat ut paucis indicem, quo ordine res opusculo meo tractaturus sim: disseram primum de iis verbis compp., quae cum remotionem vel separationem significent, aut cum praep. (a, de, ex) construuntur, aut cum nudis casibus, ablativo vel dativo. Cujus partis alterum caput continebit verba cum ‚a, de, ex' praepp. composita, alterum verba cum ‚pro, sub, dis, se-, re-' compp.; deinde ea tractabo verba, in quibus, cum composita sint cum praepp. „ad, ante, con, in, inter, ob, post, prae, sub, super", conjunctionis vis inest quaeque aut praepositio aut dativus sequitur. Ad extremum exponam, quaenam verba cum praepp. „circum, per, praeter, trans", compp. quaeque priorum partium proprie intransitiva transitivam accipiant vim et propterea accusativum adsciscant. Appendicis loco quartum adjungo caput, quo verba, quae regimen ‚aliquem aliqua re' admittunt, ut „intendo, adspergo", enumeraturus sum. Praeterea loci aliquot tractati quid commentatione mea H. carminibus recte intellegendis profuerim, demonstrant.

I.

De ablativo separativo.

A.

Verba cum „a, de, ex" praepp. composita. [2])

§ 1.

Sequitur dativus ablativus, praepositio; sed quia et tertius et sextus casus-parem habentes exitum-nude iis adjunguntur, saepenumero difficile est dijudicatu, utra structura ab H. adhibita sit; quare ut legem quandam normamque cognoscerem, quam secutus poeta verba construeret, equidem hanc viam ingressus sum: collegi ea exempla, quae dubitationi omnino locum non praebent, eaque ita inter se contuli, ut qualis

---

[1]) alias dissertationes de v. c. institutas, quae omnes in perficienda mea commentatione non neglectae sunt, attulit Keller „de v. c. apud Lucretium usu" diss. Hal. 80 pg. 4 ann. quibus adde Schneemann „de v. cum praepp. compp. apud Catull. Tibull. Prop. structura" Hal. Sax. diss. 81.

[2]) de discrimine principalis praepositionum notionis his verbis adunctarum cf. Schneemann l. c. pg. 9, ubi alii enumerantur VV. DD.; de formatione verborum compp. Ho. cf. Rothmaler „de H., jverborum inventore", diss. inaug. Berol. 1863 pg. 32 sqq.

constructio ex ipso verborum conspectu facile sub cadat.
ui ordo hanc praebet speciem:

1) verba cum „a“ praep. compp.

Sequitur	dativus *a) pers.*	dativus *b) rei*	ablativus *a) pers.*	ablativus *b) rei*
absolvo				crimine
absum	virenti			funere, virtute
aufero	cui			
avello	tibi.			

2) verba cum „de“ praep. compp.

decedo	illi, tibi			aerata triremi
decurro				monte
deduco				corpore
defluo	praedae (pro „Europae“)			
defundo				cornu
dejicio				mensa, loco
demeto	cuidam			
demitto				pectore
depello				ore, lacte
depromo				diota
derivo				fonte
destituo				mercede
desurgo				cena
detero	sibi			
deterreo				victu
detorqueo				fonte
detraho	illi			

3) verba cum „ex“ praep. compp.

egredi				magna Roma
elicio				domo
emoveo				loco
excido	Canidiae, Saganae			
excludo				Helicone, fore

Sequitur	dativus		ablativus	
	a) pers.	*b) rei*	*a) pers.*	*b) rei*
exeo				fornice, urna
expedio				metu
exilio				domo
exsto				aqua
extorqueo	cui			
extraho				turba

Apparet igitur hujusmodi verborum structuram duplicem apud H. exstare; haec enim norma constitui potest:

„*Sequitur dativus, si motus a persona proficiscitur; eodem modo ea substantiva quae personae loco usurpantur aut tralate personae vim accipiunt (cf. praedae s. v. defluo), construuntur. Adsciscunt vero verba illa casum sextum, si non persona sed res eis adjuncta est.*“

Addendum est utroque loco praepositionem usurpari posse: quod quia per se satis in promptu est, non habeo cur exempla omnia quae legantur in conspectu ponam.

Itaque qui loci nobis incerti videntur, ex analogia eorum qui omni locutionis dubitatione vacant, recte intellegi possunt; sunt vero haec verba:

1) verba cum „a“ praep. compp.

Sequitur	dativus		ablativus	
	a) pers.	*b) rei*	*a) pers.*	*b) rei*
abeo	superbis			
abigo				epulis
abrumpo	Perithoo			
abscindo				soldo
absisto				bello
absterreo				vitiis
absum				chartis
aufero	fautoribus			
averro				mensa
averto				lucris, mercaturis

2) verba cum „de“ praep. compp.

decedo	peritis, Hymetto			summo
decutio				silvis
deduco				silvis, animo

Sequitur	dativus a) pers.	dativus b) rei	ablativus a) pers.	ablativus b) rei
defluo	tonso			saxis
defundo				pateris
demoveo				lucro
depello				dorso
depromo				cellis
deripio	militibus			lacertis, postibus, coelo, digito, horreo, polo
descendo				coelo
desilio				lecto, montibus, turribus
detergeo				coelo
deterreo				caedibus
detraho				servis, digno
devoco				coelo

3) verba cum „ex“ praep. compp.

effero				agris
ejicio				cellis
elido				nervis
emetior				acervo
emeto				agris
eruo				sepulcris, populo
evello				animo, agro, caeno
excerpo				numero, pomis
excito				agris
excutio				propriis (negotiis), lectis
expedio				laqueis
exprimo				arbusto
exsicco				culullis
extendo				nido
extraho				alvo
extrico				plagis
exuo				pellibus.

Neque vero omnino hujusmodi dativi in frequentem usum

venerunt: qui inveniuntur, pronominum plerumque vel personalium vel relativorum sunt.

De verbis quibusdam ex illa regula excipiendis (abstineo, desum, defendo, demo, eximo, adimo, eripio, demissus, editus) cf. §§ 5 et 7.

§ 2.

Sed jam ad ipsos locos, quibus leguntur illa verba, enumerandos aggrediendum; quorum si me quis minus diligentem effugerit, ab eis qui legant, veniam peto.

1) Verba cum ‚a' praep. compp.

1) abeo: Ut persaepe in **H.** carminibus extat, ita semel — et hoc quidem loco tralate — cum casu nude posito (dat.) invenitur: a. p. 201. „Ut abeat fortuna superbis"; altero loco, quo poprie localiter usurpatum est, legitur adverbium unde: S. I. 1_{108}: „unde abii."

2) abigo: abl.: S. II. 2_{44} necdum omnis abacta est Pauperies epulis regum.

3) abludo: S. III 2_{320}: haec a te non multum abludit imago.

4) abrumpo: dat: O. IV 7_{27}: Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro Vincula Perithoo.

5) abscindo: S. I. 2_{113}: inane abscindere soldo. (abl.); contra O. I. 3_{21}: „Nequiqam deus abscidit prudens Oceano dissociabili terras" „Oceano" abl. instr. est.

6) absisto: S. I. 3_{104} „bello absistere" (abl.)

7) absolvo: primum exemplum, ubi nudus casus dubitationibus locum non praebet, legitur S. II 3_{279}: „an commotae crimine mentis Absolves hominem".

8) absterreo: semel c. abl. usurp: S. I 4_{129}: „teneros animos aliena opprobria saepe Absterrent vitiis". Altero loco non tam communem sermonis pedestris usum quam suam ipsius, quam infra (§ 4) exponam consuetudinem secutus H. ‚a' praep. adjungit: S. II 5_{83}: Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto.

9) absum: a. *cum dat. pers.*: O. I 9_{17}: Donec virenti canities abest morosa.

b. *cum abl. rei:* S. I 4_{101}: vitium procul afore chartis . . promitto; O. II 20_{21}: absint inani funere neniae; a. p. 370: consultus juris et actor causarum mediocris abest virtute diserti Messalae.

De O. III 24_{64} (Curtae nescio quid semper abest rei) cf. § 20_2.

10) aufero: ter conjungitur cum dat. pers.: O. II 16_{15}: cui . . . nec leves somnos timor aut cupido sordidus aufert,

O. III 12_5: tibi telas operosaeque Minervae studium aufert ... Liparei nitor Hebri.; Ep. I 15_{34}: Hic ubi nequitiae fautoribus .. nil aut paullum abstulerat. Ceteris locis, quibus invenitur, aut absolute usurpatum est, aut praecedunt ei adverbia: S. I 4_{131}: fortassis et istinc (= istis vitiis) Largiter abstulerit longa aetas; S. II 3_{217} quare aufers Undique.

11) avello: S. I 2_{104}: an tibi mavis ... pretium avellier?

12) averro: S. II 4_{37}: cara pisces averrere mensa (cf. Btl. ann.). aliter S. II 3_{235} ubi simplex legitur: tu pisces hiberno ex aequore verris.

13) averto: legebatur in libris ante Lambinum editis S. II 4_{37}: „cara pisces avertere mensa", quam lectionem falsam esse primus V. D. ille intellexit et „averrere" e suis codicibus exhibuit; quod probavit Bentleius, neque jam dubiam palmam ei lectioni fecerunt collationes Holderi.

Contra exstat saepius participium perf. pass., in adjectivi usum derivatum: O. II 4_{19}: illam . . lucro . . aversam; S. II 3_{107}: aversus mercaturis. (Cic.: „*a* vero, *a* musis aversus").

2) verba cum „de" praep. compp.

14) decedo: quod legitur apud Draegerum I² pg. 507: „decedere wird in der rection überall mit solcher inconsequenz behandelt, dass nichts bestimmtes darüber ausgesagt werden kann," et paullo infra: „auch die betrachtung des gsebrauches bei andern Schriftstellern (scl. als bei Cic., Cae., Liv.) führt zu keinem bestimmten resultat", ad Horatianum usum non esse referendum hi docent loci:

a. *cum dat. pers.*: O. II 9_{11}: „nec tibi ... decedunt amores; Ep. II 2_{152} illi decedere pravam stultitiam; Ep. II 2_{213}: Vivere si recte nescis, decede peritis"; O. II 6_{15}: „non Hymetto mella decedunt" (per brachylogiam dictum: quam si dissolves, cave dativum (melli Hymetti) pro ablativo (melle Hymetti) ponas!)

b. *cum abl. nude posito:* neque Decedit aerata triremi ... atra cura O. III 1_{39}; si paullum summo decessit a. p. 378; sed Ep. I 6_3: ‚decedentia certis Tempora momentis', ubi decedere de stellarum occasu dictum est, abl. ‚certis momentis' non separativus est, sed qui dicitur abl. modi: ‚nach bestimmten bewegungsgesetzen' (momentum = movimentum.)

Cum abl. etiam simplex constructum est O. III 4_{28}: cedere campis.

15) decerpo: *cum praep.*: S. I 2_{79} ex re decerpere

fructus. Altero loco legitur cum adv. locali: O. I 7_7: Undique decerptam olivam.

16) d e c u r r o: a. *cum abl.*: O. IV 2_5: monte decurrens; b. *cum praep.*: O. III 27_3: ab agro decurrens lupa.

17) d e c u t i o: *abl.*: ep. 11_6: „Hic tertius december . . . silvis honorem decutit", quo loco Ulricus l. c. pg. 5_7 non ablativum sed dativum intellegit.

18) d e d u c o. *adv*: O. IV 4_{19}: mos unde deductus; *abl.*: a. p. 244: silvis deducti Fauni; Ep. I 2_{48}: non aeris acervus et auri Aegroto domini deduxit corpore febres, Non animo curas;

abl. instr. his locis inveniuntur: deduci superbo .. triumpho O. I 37_{31}; tenui deducta poemata filo Ep. II 1_{225}; abl. temporis adjunctus est S. II 1_4: similesque meorum Mille die versus deduci posse.

19) d e f l u o: a. *cum praep.* adjuncto dativo commodi: O. I 28_{28}: merces . . . tibi defluat aequo ab Jove.

b. *c. dat*: O. III 27_{55}: Antequam . . tenerae sucus defluat praedae (pro „Europae"); S. I 3_{31}: Rusticius tonso toga defluit.

c. *c. abl:* O. I 12_{29}: Defluit saxis agitatus humor.

20) d e f u n d o c. *abl:* O. IV 5_{34}: mero Defuso pateris; idem casus addito insuper dat. com.: Ep. I 12_{29}: „aurea fruges Italiae pleno defundit Copia cornu": quamquam hoc loco etiam de abl. *instr.* (*mit* vollem horn) cogitari potest. (cf. c. s. 60: apparet beata pleno Copia cornu.)

21) D e i c i o *bis c. abl*: S. I 3_{91}: mensave catillum . . . deiecit; Ep. II 2_{30}: Praesidium regale loco dejecit . . . summe munito; *semel c. praep.*: S. I 6_{39}: audes deicere e saxo civis.

22) d e m e t o: S. I 2_{46}: Accidit ut cuidam testes caudamque salacem Demeterent ferro: ita Btl. secutus scripturam codd. quorundam apud Lamb. allat.

23) d e m i t t o a. *cum praep:* S. I 5_{103}: deos id Tristes ex alto coeli demittere tecto.

De participio „demissus" cf. § 7.

b. *cum abl.:* latum demisit pectore clavum S. I 6_{28}.

24) d e m o v e o [1]) S. I 1_{39}; „cum te neque fervidus aestus Demoveat lucro neque hiems (abl.)

25) d e n o m i n o. O. III 17_3: priores hinc Lamias ferunt denominatos.

---

[1]) affert Kellerus, epileg. ad. H. pg. 196 commentationem H. Schmidtii „de discrimine verborum demovere et dimovere", quam in manibus non habuisse valde me piget.

26) depello: Ep. 10_{38}: (equus) non equitem dorso, non frenum depulit ore; O. IV 4_{15}: Matris ab ubere jam lacte depulsum leonem: qua forma mirum quantum V. V. D. D — et id quidem sine justa causa — vexati sint.

27) deposco: S. I 2_{70}: Numquid ego a te Magno prognatum deposco consule cunnum?

Contra posco c. acc. leg. O. I 24_{12}, S. II 7_{90} saepius.

28) depromo: O. I 37_{5}: depromere Caecubum Cellis avitis; O. I 9_{7} benignius Deprome quadrimum Sabina . . . merum diota.

29) deripio[1]: omnes loci ii sunt, ut nisi ex legis nostrae analogia uter sit casus intellegendus, dat. an abl. colligere non possimus:

a. *c. abl.* O. I 9_{23}: Pignusque dereptum lacertis aut digito male pertinaci[2]; O. III 28_{7}: deripere horreo Cessantem . . . . amphoram; O. IV 15_{7}: signa . . . Derepta Parthorum superbis Postibus; ep. 5_{46}: Lunamque caelo deripit; ep. $17_{,78}$: polo deripere lunam.

b. *cum dat,* O. III 5_{21}: arma militibus . . Derepta.

30) derivo: O. III 6_{19}: Hoc fonte derivata clades.

31) descendo: O. III 4_{1}: descende caelo; contra ep. 7,7. „Britannus ut descenderet sacra catenatus via“ sacra via pro „in sacra via“ dictum est.

32) describo, S. II 3_{34}: unde ego . . descripsi praecepta.

33) deseco: O. I 16_{15}: particulam undique desectam.

34) desilio: *adv.*: O. III 13_{16}: unde . . Lymphae desiliunt; *abl*: ep. 16,48: montibus altis Levis crepante lympha desilit pede; ep. 17,70: altis desilire turribus; S. I 2_{130}: vepallida lecto Desiliat mulier.

35) destituo (cf. Ebg. l. c. pg. 36): ex quo destituit deos mercede pacta Laomedon O. III 3_{21};

36) desurgo: S. II 2_{77}: Vides, ut pallidus omnis Cena desurgat dubia?

37) detergeo. O. I 7_{15}: Albus ut obscuro deterget nubila caelo saepe notus. *(abl.)*

38) detero. S. I 10_{69}: deteret sibi multa; de altero loco cf. § 19_{33}.

39) deterreo. S. I 4_{112}: a turpi meretricis amore cum deterreret me; a. p. 392: Silvestres homines Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus *(abl.)*

40) detorqueo. a. p. 53: verba si Graeco fonte cadent parce detorta.

---

[1]) cf. Keller epileg. pgg. 42 et 349; hj. comm. § 9_{3}.
[2]) cf. hj. comm. § 20_{1}.

Simplex legitur Ep. II 1_{127} cum praep: Torquet ab obscaenis jam nunc sermonibus aurem.

41) detraho: a. *cum dat*: ep. 9, 9. Minatus urbi vincla quae detraxerat servis; S. I 10_{48}: neque illi detrahere ausim . . . coronam; Ep. I 16_{34}: ut si detulerit fasces indigno detrahet idem.

b. *cum praep.:* detractam ex aure . .. . baccam S. II 3_{239}.

42) devoco: ep. 17, 5: caelo devocare sidera *(abl.)*

3) verba cum ‚ex' praepp.

43) effero: *c. abl.:* caput Autumnus agris extulit ep. 2, 18; [anus . . Thebis . . elata S. II 5_{85}.]

44) egredior: S. I 5_{1}: Egressum magna me . . Roma.

45) eicio: S. I 8_{8}: angustis ejecta cadavera cellis *(abl.)*.

46) elicio: *c. abl*: Quis devium scortum eliciet domo Lyden? O. II 11_{21}; *c. adv.*: ut inde elicerent S. I 8_{29}.

47) elido: Ep. I 15_{6}: cessantem nervis elidere morbum *(abl.)*

48) emetior: *c. abl.*: adjuncto dat. com.: S. II 2_{105}: cur carae Non aliquid patriae tanto emetiris acervo.

49) emeto: *c. abl.*: Ne plus frumenti dotalibus emetat agris Mutus Ep. I 6_{21}.

50) emico: legitur Ep. II 1_{73}: „Inter quae verbum emicuit si forte decorum", ex analogia verbi excellere (cf. no. 60 s. v. expedio et ann.).

51) emoveo: Dura sed emovere loco me tempora grato, Ep. II 2_{46}.

52) eruo ep. 5_{17}: sepulcris caprificos erutos; item transitive usurpatur simplex S. II 5_{22}: unde Divitias aerisque ruam . . acervos; Ep. II 2_{115}: Obscurata diu populo bonus eruet . . speciosa vocabula rerum.

De tertio loco, quo legitur „eruo", cf hj. comm. § 20_{4}.

53) evello: Nequidquam caeno cupiens evellere plantam S. II 7_{27}; spinas animone ego fortius an tu evellas agro Ep. I 14_{5} *(bis abl.)*.

54) excerpo: *abl.*: ego me illorum . . Excerpam numero S. I 4_{40}: Picenis excerpens semina pomis S. II 3_{272}.

55) excito: Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum excidere S. I 8_{49}; Facile suppletur dativus O. III 5_{29}: Nec vera virtus cum semel excidit Curat reponi deterioribus.

56) excito: S. II 8_{56}: Quantum non Aquilo Campanis excitat agris; sed potest etiam de locali abl. (= in agris), cogitari.

57) excludo: Exclusus fore S. I 2_{67}; excludit sanos Helicone poetas Democritus a. p. 296.

58) excutio: *abl.:* excussus propriis (negotiis) S. II 3_{20};

cum subito ingens Valvarum strepitus lectis excussit utrumque S. II 6_{112}; Sed S. I 4_{35} „dummodo risum Excutiat sibi“ supplendum est „(a) circumstantibus“ „von den umstehenden“; ‚sibi‘ enim dativus, qui vocatur, ethicus est.

59) exeo: S. I 2_{31}: homo cum exiret fornice; O. II 3_{27}: omnium Versatur urna serius ocius sors exitura; Semel legitur cum adv.: S. II. 7_{12}: unde . . exiret vir libertinus.

60) expedio: O. III 24_{8}: Non animum metu Non mortis laqueis expedies caput (*abl.*)

Semel *c. praep.* ‚per‘ O. IV 4_{76}; „Quos . . curae . . Expediunt per acuta belli“; quae constructio docendi facultatem aliquam praebet: nam cum ‚a‘ re aliqua expedimur, ipsam illam rem, si localiter animo effingimus, post nos relinquimus; at cum jam insimus in ea, necesse est, quaecumque obstent usque ad finem nos decurrere: ita non solum ‚a‘ re aliqua, sed etiam ‚per‘ rem expedire poeta suo jure potuit.[1])

Adv. unde leg. ep. 11,25: unde expedire . . . non queant.

61) exprimo: abl.: S. I 7_{29}: Expressa arbusto regerit convicia: v. § 20_{5}.

62) exseco: v. § 20_{3}.

63) exsicco: abl.: dives et aureis Mercator exsiccet culullis vina O. I 31_{11}.

64) exsilio: S. II 6_{98}: domo levis exsilit.

65) exsto: ep. 5_{35}: quantum exstant aqua . . corpora.

66) extendo: abl. Ep. I 20_{21}: me majores pennas nido extendisse.

67) extorqueo: cui sic extorta voluptas. Ep. II 2_{139}.

68) extraho: S. II 5_{94} extrahe turba oppositis humeris; a. p. 340: puerum extrahat alvo. [S.I 1_{11} rure extractus in urbem]; quae Draegerus I[1] pg. 391 affert: „Extrahere c. dat. gebraucht, dem Horaz hierin folgend, zuerst der ältere Plinius etc.“ recte in secunda editione omisit.

69) extrico: O. III 5_{31}: extricata densis Cerva plagis *(abl.)*; Semel sequitur adv.: S. I 3_{88}: Mercedem aut nummos undeunde extricat.

70) exuo ep. 17,15: Setosa duris exuere pellibus Laboriosi remiges Ulixei Volente Circa membra.

§ 3.

Quoniam quae verba cum a, de, ex praepp. composita apud H. legantur vidimus neque unam eandemque structurae

---

[1]) cf. O. IV 9_{41}: per obstantes catervas Explicuit sua victor arma; O. II 7_{13}. Sed me per hostes Mercurius celer . . sustulit; Verg. Aen. II 665: quod me per tela, per ignis Eripis; simili certe modo praep. „inter“ verbo „emico“ adjuncta intellegenda est (no. 50).

rationem in illis inesse apertum est, jam paucis deliberandum est, quae sit ipsa illa ratio quidque intersit inter singulas constructiones. Qua de re mihi disputanti ab iis proficisci licet, quae Lehmannus, Ignatius, Hahnius, ubi disserunt de verbis cum ‚ad, ante, con etc.' praepp. compositis, afferunt dicentes composita et transitiva et intransitiva sic ad verbum substantivum revocari posse, ut ea aut quasi causativa aut incohativa verbi substantivi sive simplicis sive cum praep. compositi esse aut denique ejus vim accuratius definire videantur.[1])

Quae ratiocinatio, mathematicorum in modum praeceptorum, quae si vera sunt item si invertuntur verum aliquid praebere necesse est, in contrarium deduci potest; apparet vero quomodo illuc praepp. ‚ad, ante, con etc.' appropinquationem significantes pertineant, ita huc referendas esse illas, quibus separationis subest notio, h. e. praepp. ‚a, de, ex'; quibus cum praepp. quae composita sunt verba, ita definiri possunt, ut contraria sint verbi substantivi, sive exstant incohative seu causative; nam in utroque genere, et in iis quae cum praepp. ‚ad ante con etc.' composita sunt verbis et in iis, quae praepp. ‚a, de, ex' adsciverunt, cohaerentia quaedam et quasi quidam contextus cernitur, sed ita, ut in altero genere ad verum perductum, in altero sublatum eum esse videamus:

‚accurro, accido ad aliquid' idem est ac ‚currendo, cadendo fit, ut ad aliquid adsim, ut alicui rei sim' (incohative).

‚addo alicui aliquid' idem est atque ‚addendo facio, ut aliquid alicui sit' (causative).

‚abscindo, aufero alicui aliquid' idem valet, quod ‚abscindendo, auferendo facio, ut alicui aliquid non sit' (causative),

vel ubi substantivi verbi vis accuratius definitur: ‚desum alicui' idem est ac ‚non sum alicui'.

At praetera omnia illa verba cum ‚a, de, ex' praepp. composita etiam ita intellegi possunt, ut privandi significatione praediti sint, quorum quae verbi substantivi et vv. intransitiorum composita sunt, passivam, alia omnia activam vim habent:

[1]) Cf. Lehmann „de verborum comp. quae apud Sall. Caes. Tac. leguntur cum dativo structura" diss. inaug. Vratisl. 1863 pg. 12; Ignatius „de verb. c. praep. compp. apud Nep., Liv., Curt. Ruf. c. dat. structura" diss. inaug. Hal. Sax. 1877 pg. 7; Hahn „de v. c. apud vet. poet. scaenicos struct." diss. inaug. Hal. Sax. 1878 pg. 5 et 6, quibus locis exempla invenies.

abest } decedit } mihi aliquid = privatus sum } privor } aliqua re

abscindo } aufero } alicui aliquid = privo aliquem aliq. re.

Duae igitur exstant naturae notionesque, ad quas verba hujus opusculi partis revocare possimus: quibus facultatibus ita H. usus est, ut cum a persona aliqua motus fit, negativam notionem praeferat adjungatque dativum, contra si res altera ab altera movetur, positivam intellegat vim ideoque ablativum adhibeat.

§ 4.

Sed si universum intuebimur numerum verborum, quibus praep. aut eadem aut similis ab Horatio apposita est, apparebit non ita saepe illas, si ad casus unde positos comparamus, adhibitas esse; apparebit item, eas adhiberi et si a persona motus proficiscitur et si de rebus, quibus deest vel a quibus removetur aliquid, verba fiunt; quos ipsos locos accuratius nunc inspici necesse est:

abludo . . a te S. II 3_{320}.
absterreo . . a corio S. II 5_{83}.
decerpo fructum ex re (= coitu) S. I 2_{79}.
decurro ab agro O. III 27_{3}.
defluo ab Jove O I 28_{28}.
deicio ex saxo S. I 6_{391}.
demitto ex coelo S. I 5_{103}.
deterreo a turpi meretricis amore S. I 4_{112}.
detraho ex aure S. II 3_{239}.
emico inter quae (carmina) Ep. II 1_{73}.

Quo e conspectu facile haec constructionis norma exstat atque eminet:

„*Verbis cum ‚a, de, ex' praepp. compositis praepositio non adjungitur, nisi verba fiunt*

1) de personis

2) de eis nominibus, in quibus res sensibus subjecta inest.“

Qua ab lege, quae abhorrere videntur verba (decerpo et deterreo) perfacile ad notionem rerum sensibus subjectarum revocari possunt; quae notio altero loco, qui ad verbum decerpo pertinet, ea re cognoscitur, quod „decerpere“ cum voce „fructum“ conjunctum est, quae locutio probari non potest, nisi ibi exstat, ubi res aut proprie sensibus animadverti possunt, aut eas ita intellegi licet, ut perfacile sub oculos cadant. Sed plura de illo loco disserere vetor obscoenitatis quae inest in eo multitudine; altero, quem attuli loco, ubi legitur „a turpi meretricis amore cum deterreret“ praepositio ideo locum habet, quod „a turpi meretricis amore“ idem valet,

atque „a turpi meretrice", vel „a turpibus meretricibus"; quo loco praepositio eodem modo probanda est, quo supra, ubi de dativo personae disserui, dativus „tenerae praedae" adjunctus verbo „defluet" salva lege locum obtinebat (= tenerae Europae).

§ 5.

Omisi adhuc, quia cum ceteris cum ‚a, de, ex' praepp. compositis verbis confundenda non sunt, verba:

„abstineo, defendo, demo, eximo, adimo, desum excipio" nam jam pridem cotidiana consuetudine propriam notionem suamque rationem omiserunt. —

A. abstinere, quod et transitive et intransitive ab Horatio usurpatum ablativum (et apposita praepp. ‚a' et neglecta) adsciscit, his locis legitur:

a. *trans:* abstinuit vim uxore et gnato S. II 3_{202}.

b. *intr.:* inventis miser abstinet ac timet uti, a. p. 170: campestribus abstinet armis a. p. 379; Abstinuit venere et vino a. p. 414.[1])

Atque cur hic poeta a sua ipsius quodammodo consuetudine abierit construxeritque verbum abstinere etiam tum cum ablativo, cum de persona agitur, causa ea videtur esse, quod non solum apud aequales, sed etiam prioribus temporibus constructio illa firma ac fere inveterata erat; quamquam a Cicerone poetae sic differunt, ut ille verbo transitive usurpato semper praepositionem adjungat, contra poetae interdum eam repudient. Sed invenitur apud Livium exemplum, ubi verbo transitive usurpato dativus adjungitur: I 1 ‚duobus, Aeneae Antenorique, omne jus belli Achivos abstinuisse'; itaque dubitari potest, utrum nostro loco (‚uxore et gnato abstinuit vim') genuina lectio servata sit, an potius, quia una illa forma a lege nostra supra constituta discedit, ‚uxori et gnato' scribendum sit; quam ἀπορίαν equidem solvere non audeo, praesertim cum ad unum omnibus codicibus ‚uxore' traditum inveniam[2]): si in uno aliter legeretur, corruptelam statuere atque emendare ‚uxori' non gravarer.

B. defendo, {demo, eximo, adimo}, desum, eripio

quae semper cum dativo construuntur, his exstant locis:

defendo: O. I 17_3: igneam Defendit aestatem capellis.

demo: a. *cum dat.*: *α. rei*: Ep. I 20_{22}: Quantum generi

---

[1]) de eo loco, ubi genitivus adjunctus est, cf. § 6.

[2]) nam in cod. Par. g., ubi „Uxorem" legitur, ipsis punctis litteram „m" delendam esse indicatur.

demas, virtutibus addas; Ep. I 18_{94}: Deme supercilio nubem; O. III 6_{42}: sol ubi . . . juga demeret Bobus fatigatis.

β. pers.: O. II 5_{14}: Aetas . . illi, quos tibi dempserit, apponet annos; Ep. II 2_{140}: cui sic . . . demptus per vim mentis gratissimus error.

b. *cum praep.*: partem solido demere de die O. I 1_{20}.

eximo a. *cum dat. α.* pers.: Hic dies vere mihi festus atras eximet curas O. III 14_{14}; Sed dubitari potest, utrum ‚mihi' pertineat ad verbum ‚eximet', an — quod propter verborum ordinem verisimile est — adjungendum sit verbis ‚dies festus.'

β. dat. rei: numero beatorum Eximit virtus O. II 2_{19}; Sollicitis animis onus eximet Ep. I 5_{18}.

b. *cum praep.*: exempta . . spinis de pluribus una Ep. II 2_{212}.

adimo: a. *cum dat. pers.*: Nec tibi somnos (juvenes protervi) adimunt O. I 25_{3}; interdicto huic omne adimat jus praetor S. II 3_{217}; adimam cantare severis Ep. I 19_{9}; Quid autem Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum Vergilio Varioque a. p. 54; at ep. $17_{,44}$ „victi [scl. Castor et Pollux] prece Adempta vati reddidere lumina" dativus ‚vati' ad ‚reddidere' referendum est.

b. *cum dat. rei*: Quae (Lucina) laborantes utero puellas . . adimis . . leto. O. III 22_{3}.

desum[1]): Sunt loci, ubi personae, cui aliquid deest, dativus legitur, septem; quinque, ubi dativus rei exstat:

a. *pers.*: multa petentibus Desuunt multa O. III 16_{43}; neque enim desum mihi S. I 4_{134}; haud mihi deero S. I 9_{56} et III 1_{17}; cum deerit egenti As S. II 2_{98}; ne tibi desit S. II 3_{123}; bonis ubi quid deest Ep. I 12_{24}.

b. *rei:* larga nec desunt Veneris sodali Vina craterae O. III 18_{6}; neu desint epulis rosae O. I 36_{15}; Paullum severae musa tragoediae Desit theatris O. II 1_{10}; Neu desis operae S. II 5_{89}; sed quadringentis sex septem millia desunt Ep. I 1_{58}.

eripio: a. *dat. pers.:* Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens eripuit O. II 17_{24}; eripiet quivis oculos citius mihi S. II 5_{35}; eripiet · . curule, Cui volet . . ebur Ep. I 6_{53}; Facile suppletur dativus ‚sibi' O. II 12_{27}: quae (oscula) poscente magis gaudeat eripi;

Item simplex: Flebili sponsae iuvenemve raptum O. IV2 $_{21}$;

b) *dat. rei:* eripe te morae O. III 29_{5}: Quam secuti constructionem dativum etiam his intellegimus locis: Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum O IV 8_{25}; vel haedus ereptus lupo

---

[1]) contra deficere et deserere, prout communis sermonis consuetudo est, semper acc. adsciscunt.

ep. 2,60; His eripias si Tempora certa modosque S. I 4,57; eripe turpi colla jugo S. II 7_{91};

c. *cum praep.*: Clarum Tyndaridae sidus ab infimis Quassas eripiunt aequoribus rates O. IV 8_{32}.

Sed haec verba denuo in duas possunt species distingui: quarum ad alteram pertinet defendo, ad alteram cetera.

1) defendo: duplex omnino constructio discerni potest apud ceteros et pedestres et poeticae orationis scriptores: aut enim dicitur ,defendere aliquem (ab) aliqua re' aut ,defendere aliquid alicui.'[1]) Quae varietas ita intellegenda est, ut defendere adjuncto abl. tamquam ,extrahere ex periculo' sonet, contra altera locutio idem valeat atque ,propulsando depellere, prohibere alicui aliquid', ubi dativus quodammodo vices dativi commodi obit; itaque quae leguntur apud H. verba ,aestatem capellis' ita intellegenda esse apparet, ut ,capellis' exterius quod dicunt objectum sit, a quo vel cui aestas propulsetur.

Altera invenitur constructio in verbis, quae exstant apud hunc poetam ,arcere' et ,prohibere,' quae ,regimen aliquem aliqua re' admittunt: de quibus vide § 9_9.[2])

2) demo, eximo, adimo, desum, eripio;

Compositorum verborum constructionem paullatim ita mutatam esse, ut cum antiquiores scriptores praepositiones iterare adamarent, posteriores saepius nudos casus, imprimis dativum, praeferrent, satis constat: sequitur, ut tota illorum verborum vis ac ratio varie variis temporibus diiudicata et intellecta sit. Nam qui prapositionem usurpabant, duas illas compositi voculas nondum arcte coaluisse sentiebant adhibebantque eam constructionem, quae utrique compositi membro aptissima videretur; contra, qui postea casus nude positos praeferebant, non jam sibi conscii erant, primitus duo in verbis illis membra exstare, quorum utrique propria quaedam vis inesset; potius, quia alterum quasi vocabulum intellegebant, significatione paene nova praeditum, non aliter eo utebantur ac si simplex esset, cujus constructio ipsius verbi vi ac natura stabilita ac confirmata erat.

Sed erant nonnulla composita, quorum partes jam priscis temporibus tam arte colligata erant, ut quasi simplicia constructionis varietatem non jam admitterent et propterea jam apud vetustiores scriptores ea norma construerentur, quam postea demum ad omnia fere verba paullatim propagatam esse

---

1) cf. Kühner, II 235 coll. pg. 266,3.

2) cf. Eblg. pg. 36 § 4 et Krüg ann. ad a. p. 64 et quae in appendice affert.

3

videmus: usurpatur enim praepositio, si loci ratio servatur dilucideque significatur; sed praefertur dativus, si modo ‚quae ratio inter duas personas sive res incedat vel quid omnino verbi actioni propositum sit' notatur. (Kell.)

Sic in verbis ‚demo, eximo, adimo, desum, eripio' duae illae compositionis partes jam priscis temporibus non ita distinctae ac separatae erant, ut ad commutandam constructionem aliquid afferre possent, ut potius totius compositi significatio non aliter sentiretur atque si contrarium esset verborum ‚dare, addere, indere'; quae verba qui sequitur dativus quemque haud inepte Ignatius ‚dativum commodi' appellat etiam ad ea, de quibus hic agitur, composita transferebatur, sed ita, ut non jam dativus commodi, jed incommodi esset, notione ita amplificata, ut non modo de personis diceretur, sed etiam de rebus, quibus ‚demendo, eripiendo aliquid non esset' usurparetur.

Ex his quae dixi apparet Horatium quem praesertim toto hoc primo commentationis capite omnia ad certam quandam regulam direxisse et locutionis illam licentiam, qua alii scriptores iique diligentes usi erant, quodammodo resecuisse certaque lege coercuisse videamus in his verbis facere non potuisse quin ne ispe solutae orationis leges „infelicissime audax“ (Quint.) negligeret, constructionem omnibus probatam ac paene animis inveteratam ultro acciperet: quod ni fecisset, certe quae alicubi simpliciora reddidit, hoc loco idem, nimia perpetuitate et constantia ductus, plane delevisset.

At idem quod verbis ‚demere, eximere, eripere' semel propositionem adjunxit, a se ipse non descivit: defenditur — ne dicam desideratur — praepositio propria, quae inest illis locis, vi atque natura.[1])

§ 6.

Hac paragrapho ea verba tractaturus sum, quae quamquam plerumque cum ablativo vel accusativo vel praep. construuntur, interdum genetivum[2]) adsciscunt eaque re omnia linguae latinae vincula legesque aspernari videntur.

Quo hi loci pertinent:

desine mollium tandem querelarum O II 9_{17};

laborum decipitur O. II 13_{38};

abstineto . . . irarum calidaeque rixae O. III 27_{69};
neque ille Sepositi ciceris nec longae invidit avenae S. II 6_{84};

---

[1]) etiam Caes. et Cic. interdum praep. illis verbis adjungere satis multa exempla in lexicis collecta docent; praeterea cf. Draeg I^2 pg. 512 s. v. eripere.

[2]) de forma „genetivus“ (pro genitivus) cf. A. Haustein „de genetivi adjectivis accomodati in l. l. usu“, diss. inaug. Hal. 1882, pg. 4, adn. 3.

Eodem modo simplicia nonnulla: cum famulis operum solutis[1]) O. III 17_{16}; regnavit populorum O. III 30_{12}; et miror morbi purgatum te illius S. II 3_{27}; damnatusque longi Sisyphus Aeolides laboris O. II 14_{19};[2])

Quam sibi libertatem etiam alii concesserunt poetae,[3]) qui „qua sunt sententiarum granditate ac novitate, ita etiam, orationem ad has sententias digne exibendas novis quibusdam ornamentis decorant" ideoque a vulgaribus formis ac verborum conjungendorum consuetudine interdum aberrant. At Horatianos quos attuli locos omnes primo H. poeseos tempore ortos videmus esse; qua re jure affirmaverim eum postea constructiones tam inusitatas et a lingua Romanorum quodammodo, si aevum Augusteum spectamus, abhorrentes respuisse seseque ad cotidianum sermonis usum convertisse.

Sed si talem verborum consociationem legimus, qualis pedestris sermonis modum excedit, inquirendum est, utrum ex alius gentis oratione eam derivatam an ad proprias quasdam latini sermonis leges revocandam ad ejusque normam diiudicandam esse censeamus; de qua quaestione magnopere V. V. D. D. inter sese dissentiunt.[4]) Atque ut semper fuerunt, qui quaecunque ab usitatis grammaticis legibus abhorrere videntur, „graecismum" esse existimarent,[5]) ita etiam hic plerumque et grammatici et librorum editores in illis genetivis Graecorum imitationem deprehendunt eosque ex Graeca oratione derivare non dubitant (cf. Haustein l. c.) Alii — ut Sanctius in libro suo grammatico, qui inscribitur ‚Minerva' — consuetudinem illam Latino sermoni vindicant, sed ita, ut ellipsi substantivi cujusdam rem expediant (cf. Haustein l. c. pg. 6; Rudd. II 122 ann. 33.): quos secutus etiam Kruegerus ad S. II 6_{84}: ‚Ille ciceris invidit' adnotat ‚copiam' esse subau-

---

[1]) solutus adjuncto abl. legitur ep. 2_{4}: Solutus omni fenore; S. I 6_{129}: solutorum misera ambitione gravique.

[2]) alii sunt genitivi, qui O. IV 9_{37} „abstinens . . pecuniae" et O. III 19_{16} „Rixarum metuentes" leguntur: qui genetivi non verbi vi, sed propria participiorum praes. constructione efficiuntur.

Contra O II 11_{4} „nec trepides in usum poscentis aevi pauca" et O. IV 1_{18}: „Et quandoque potentior Largi muneribus riserit aemuli", quorum loc. priore Dillenburgerus, altero Nauckius genetivum a verbo finito pendere existimat, recte ceteri editores, quia loci aliter intellegi possunt, inusitatam illam constructionem repudiant.

[3]) ita apud Verg. legitur: Aen. X 441: desistere pugnae; ib. XI 126: Justitiaene prius mirer belline laborum? — Alia exempla collecta sunt apud Rudd. II pg. 120.

[4]) cf. Klein, de verb. separandi apud Tac. struct., diss. inaug. Hal. Sax. 1878 pg. 25 adn.; Haustein l. c. pg. 5 ff.

[5]) jam Quint. IX 3_{17} censet Horatianum illud „invidere c. gen." Graecismum esse. („ex graeco vero translata [vel Sallusti plurima . . . .] vel Horati, nam id maxime probat: „nec ciceris etc.")

diendum; item alii O. III 17_{16}: ‚cum famulis operum solutis' ‚operum' per breviloquentiam pro ‚operum onere' dictum esse censent.

Sed neque Graecae consuetudinis imitatio nec vocabuli omissio rationem ejus constructionis satis apte illustrat: Etenim qui graecismum eam appellant, non viderunt, jamjam apud veteres poetas ejusmodi genetivos inveniri[1]), atque quae apud Plautum et Terentium exstant verborum consociationes, certe etiamsi Graecorum linguae similes videntur esse, sermoni latino vindicanda sunt; nam quamquam saepissime singula Graecorum vocabula in scaenicorum illorum fabulis inveniuntur, tamen verborum conjungendorum rationem et consuetudinem a Graecis derivatam nondum ideo reperies, quia singula verba multo facilius gentium usu et commercio inter sese conjunctarum ex alia in aliam transferri nec tamen propria verba ad alius cujusdam gentis similitudinem conjungi posse facile liquet.[2])

Sed haec leviora; illud vero grave atque magnum, quod apud Ciceronem legg. II 20_{51} vetus quaedam lex legitur[3]) („is per aes et libram heredem testamenti solvat") quae sine dubio iis jam temporibus orta est, quibus Romanorum cum Graecis usus aut omnino non fuit, aut profecto tam rarus, ut vernaculae linguae novas indere constructiones nondum posset.[4])

Item qui in ellipsi statuenda versantur, ideo non recte judicant, quod plerumque — id vero etiam ex H. locis satis apparet — omnino non patet, quale substantivum, quod loci naturae maxime conveniat, subaudiamus.[5])

---

1) cf. Schaaf „de genetivi usu Plautino" diss. inaug. Hal. Sax. 1881 pg. 39 sqq.

2) cf. Haustein, l. c. pg. 3.

3) legitur praeterea legg. III 13_{31} in codd. Leidens. A et B „ejusdem cupiditatis tenerentur", quam lectionem etiam exemplum Orellianum exhibet; sed quia hic locus non legis cujusdam pars est, laudo Halmium, quod „cupiditatibus eisdem" quae lectio apud Lambinum et in duobus dett. codd. legitur, in textum recepit.

4) Quam meam rationem certe non infirmant, quae affert Jordan „beitraege zur geschichte der lat. sprache" Berl. 1879 pg. 225: „zweck (scl. der abhandlung) ist es, hervorzuheben, in welchem maasse und mit welcher fähigkeit Cicero das alte latein der urkunden nachgeahmt habe" et pg. 228: „die eingelegten gesetze . . . sind eine mit benutzung der in diesen enthaltenen hauptgedanken und darin üblichen redewendungen versuchte nachdichtung. —

Genetivos illos jam antiquitus a Romanis usurpatos esse, docet etiam Haase, (ad Reisigii gramm. schol. ann.) pg. 638, ann. 526: „stehend waren zu allen Zeiten die juristischen formeln für das gewährleisten und ähnliche mit dem genetiv", quibus exempla haud pauca addit.

5) cf. Rudd. (-Stallbaum) pg. 123 n. 33.

Itaque cum neque Graecorum imitatio, neque vocis omissio rationem illius constructionis satis illustret, equidem secutus explicationes, quas H. Keilius in scholis suis renuntiavit, hac via ad verum procedi posse confido:

Duo omnino casus, quibus res objecta significatur, verbis primitus adjungebantur [1]): accusativus aut genetivus; quorum prior apponitur verbis, si transitive usurpantur; quod saepissime fieri, praesertim in lingua quam dicimus classica, satis notum est:

‚cupio te'

alter a verbis adsciscitur, cum in in transitivam notionem abierunt carentque accusativo: qui genetivus idem est ac qui adjectivis plerumque adjunctus est et supplementum quodammodo notioni ipsius adjectivi vel verbi affert: [2])

‚abstineto irarum'; ‚er sei enthaltsam, hier speciell in bezug auf seine zornesausbrüche.'

‚quae capiunt tui' (Plaut. m. g. 964): voll begierde, in diesem falle nach Dir.'

Tales genetivos, si universam linguae Romanae historiam intuemur, antiquioribus temporibus videmus omnibus fere verbis, quacunque sunt vi vel notione, apponi; sed usus paullatim ita coercebatur et tamquam cancellis circumscribebatur, ut exempla quae exstant in Augustei aevi libris, exiguae reliquiae consuetudinis antea late longeque patentis putanda sint; at si priorem usum spectamus, quattuor imprimis hujusmodi verborum classes, quibus tales genetivi appositivi sive materiae (gen. des inhalts) apponebantur, discerni possunt; quarum prima ea continet, quibus animi affectus notio inhaeret: quo velim enumeres: ‚neque ille Sepositi ciceris nec longae invidit avenae'; deinde ea, quibus memoriae vel oblivionis notio inest, ut ‚recordari' alia: quo referendi loci: ‚desine mollium querelarum', ‚laborum decipitur' ‚abstineto irarum etc.'; tum ea quibus significatio abundantiae vel inopiae subjecta est: cujus generis sunt ‚morbi purgatus' ‚cum famulis operum solutis.' (Cf. etiam purus: ‚scelerisque purus,

---

[1]) cf. Delbrück, grundlagen der griech. syntax, Hal. Sax. 1879 pg. 39: „ein grosser teil des genetivs bei verben lässt sich verstehen, wenn man ihn mit dem acc. in parallele stellt, wobei an den ausspruch von J. Grimm erinnert werden mag: ‚Der accusativ zeigt die vollste entschiedenste bewältigung eines gegenstandes durch den im verbo des satzsubjectes enthaltenen begriff; geringere objectivisirung liegt in dem gen., die tätige kraft wird dabei gleichsam nur versucht und angehoben, nicht erschöpft.'

[2]) cf. O. III 3_1: ‚tenax propositi': „zäh, diesmal in seinem vorhaben'; alia ejusmodi adjectiva, quibus ab H. genetivus postpositus est, omnia enumerata sunt apud Ebeling. pg. 22 sqq.: quibus formae, quas attulit Haustein in dissertatione sua, complendae sunt.

O. I 22_1.) Quartum est genus eorum, quae ‚accusare condemnare' vel contrarium sonant:[1]) quo in genere Plautus eo procedit, ut etiam verba prehendendi et quae simili sunt significatione cum genetivo, construat, ut Bacch. 950: ‚doli ego deprensus sum': [cf. etiam ejsd. fab. v. 489: ‚ut mulierem capitis non perdam': de quibus v. Schaaf, l. c. pgg. 43—44.]: quo spectat O. II 14_{19}: ‚damnatus longi laboris.'

Jam si ita omnia illa genetivi exempla ex ingenio linguae latinae originem duxerunt, ne unam quidem illam formam, quae classibus allatis inseri non potuit, — regnavit populorum — graecismum sapere confido putari posse: nam quamquam simile prioribus l. l. temporibus exemplum non invenitur, tamen ad intellegendam constructionem hellenismum adhiberi ideo opus non est, quia locutio illa ex ipsarum illarum l. l. genuinarum analogia profecta esse potest.[2])

At re vera, si linguas et Latinam et Graecam intuemur, miramur, quod in utroque sermone tales ac fere eidem genetivi non paucis verbis apponantur: quare quia quatenus sit probanda doctrina graecismorum quidque ingenio naturaeque l. l. vindicandum sit vidimus, non jam gravor contendere, structuras illas — quod idem jamjam Haustein [l. c. impr. pg. 14] de genetivis adjectivis accommodatis locutus est — esse indogermanicas, i. e. ex illa lingua servatas, ex qua ‚quasi communi matre' et Graeca et Latina lingua emanavit: quae mea conjectura firmatur ea re, quod video etiam in lingua sanscrita tales genetivos persaepe verbis apponi.[3])

Formae, quae exstant O. III 13_{13}: ‚Fies . . . fontium' et Ep. I 9_{13}: ‚Scribe gregis' genetivos qui voc. partitivos vel possessivos exhibent neque ideo generibus modo allatis permiscendae sunt.[4])

---

[1]) cf. Liv. V 28: ‚quin sine mora voti liberaretur'; XLI 19: senatus nec liberavit ejus culpae regem; alios ejusdem script. locos affert Rudd. pg. 119_{14}.

Hanc accusandi vv. constructionem forensi usu inveteratam postea latius latiusque ita manasse, ut verba illa etiam ab optimis Latinitatis scriptoribus semper fere cum genetivo usurparentur, quis est quin sciat?

[2]) cf. Ziemer „junggrammatische streifzüge im gebiete der syntax" pg. 43 coll. pg. 52 (Nichts häufigeres etc.); Sed errat V. D. ille, quod pg. 98 etiam constructiones „voti ‚votorum et damnari et liberari' ‚analogiebildung' dicit: quae quidem verba jam antiquitus c. g. constructa constructionemque illam probatam propria l. l. natura servatam esse cotidiano usu supra vidimus.

[3]) cf. Delbrueck l. c. pg. 39—43; Siecke, „de genet. in l. sanscrita imprimis vedica usu", diss. inaug. Berol. 1869 pg. 32 sqq. (impr. pg. 33, 46, 47, 55.)

[4]) cf. § 14_{28}; eodem modo constructum est verbum ‚dedicare' c. gen. in monumento Furfonensi; cf. Jordan. l. c. pg. 251 med.

§ 7.

Ortus, natus, prognatus, editus, demissus.

Quae verba jam Ebelingius tractavit, sed quia neque omnes, qui exstant, locos attulit, neque omnino eo perduxit rem, ut certum aliquid cerni possit, equidem hoc labore haud supersedendum putabam.

Aeque igitur, atque omnes fere scriptores, etiam Horatius verbis derivationem sive originem significantibus nudum adjungit ablativum, cum participio usus est: raro sequitur praepositio: cf. Kühn. II 277; Draeg. I^2 § 220 pg. 518.

Ortus: Orte Saturno O. I 12_{50}; non his juventus orta parentibus O. III 6_{33}; Divis orte bonis O. IV 5_1; Virginum primae puerique claris Patribus orti O. IV 6_{32}; ab his majoribus orti Ad pugnam venere S. I 5_{55}; Multos saepe viros nullis majoribus ortos . . . vixisse S. I 6_{10}; magni . . . . pueri magnis e (alii codd. ‚et‘) centurionibus orti S. I 6_{73} (v. infra); quod sit peioribus ortus Ep. I 6_{22} (om. Eblg.)

[S. II 4_{33}: „Miseno oriuntur echini“ („aus Misenum etc.“) cum aliis formis confundi, quod Eblg. pg. 37 fecit, probari non potest.]

Natus: Aiacem Telamone natum O. II 4_5; quo patre natus S. I 5_{53}; I 6_{29}; I 6_{36}; me libertino patre natum S. I 6_6; I 6_{45} et $_{46}$; Ep. I 20_{20}; Maja nate S. II 6_5.

Semel *c. praep.:* divesne prisco natus ab Inacho, Nil interest O. II 3_{21}.

Verbum finitum his exstat locis: Crede non . . Sic lucro aversam potuisse nasci Matre pudenda O. II 4_{19}; Magno patre nata puella est S. I 2_{72}; quali sit quisque parente Natus S. I 6_8; Ingenuo si non essem patre natus S. I 6_{21}; Non ego me claro natum patre . . . narro S. I 6_{58}.

[legitur praeterea Ep. II 2_2: ‚puerum . . . natum Tibure vel Galiis‘, qui locus huc non incidit.]

prognatus: semper praep. neglecta est: magno prognatum consule cunnum S. I 2_{70}; semet prognatos S. I 6_{78} (om. Eblg.); ovo prognatus eodem S. II 1_{26}.

editus: *c. abl.:* Maecenas atavis edite regibus O. I 1_1 (om. Eblg.)

demissus: ab alto Demissum genus Aenea S. II 5_{63}.

Quibus, ut rem plane cumulateque perficiam, hos praeterea addo locos:

creari: fortes creantur fortibus et bonis O. IV 4_{29};

Deest omnino verbum originem significans O. III 17_1: Aeli vetusto nobilis ab Lamo.

Originem ducere: Auctore ab illo ducis originem O. III 17_5.

Itaque praepositio locum non obtinet, nisi de majoribus verba fiunt; quae norma non solum ad verba finita pertinet, sed etiam in participiis semper servatur, quamquam iis quidem ab omnibus fere scriptoribus nudus ablativus apponi solet. — At apud H. ablativus nude positus locum obtinet, et ubi omnino de majoribus et ubi de parentibus verba fiunt.

Quae lex, quia satis e locis modo enumeratis liquet, non jam dubito, quin uno exemplo neglecta non sit; itaque quod legitur S. I 6_{63} in nonnullis codicibus (cf. ann. crit. Kell.), magni ... pueri magnis *e* centurionibus orti' certe corruptela est; quam statuerem, etiamsi genuina ,et' pro ,e' aliis in codicibus — neque iis pravis — servata non esset. („magnis et centurionibus orti" per inversionem dictum pro „et magnis cent. orti").

§ 8.

Summa igitur totius adhuc commentationis haec est:

Duae omnino apud Horatium discerni possunt classes verborum cum ,a, de, ex' praepp. compositorum: primum ea verba, quorum partes jam ante optimorum scriptorum tempora artissime coaluerunt et propterea quod non jam composita ea esse sentiebatur, jam antiquis temporibus constructionem firmam quandam ac constantem acceperunt; quorum species altera:

dativum adsciscit:

α. defendo,

β. { demo, eximo, desum, eripio[1]), adimo.

altera ablativum nudum desiderat: abstineo.

deinde alia omnia quae huc incidunt verba, triplex admittentia regimen: construuntur enim

1) *cum dativo:* sed tum modo, cum de personis vel de rebus personarum loco usurpatis motus fit.

2) *cum ablat.:* sed ea conditione, ut quae inest in verbo vis, ad res spectet.

3) *cum praep.:* vel eadem vel simili, sed non aliter atque ut aut α. personis aut β. rebus sensibus subjectis addatur; quod contra rebus, quae sub oculos non cadunt, praepositio non adjungitur.

Adnotatio I[a]: non ita multis locis inveniuntur exempla archaismi cujusdam, ubi genetivi cum talibus verbis conjunguntur, quae in pedestri sermone ablativum vel accusativum

---

[1]) eodem modo ,surripio' constr. cf. § 10.

vel praepositionem praeferunt; sunt vero haec: desinere, decipere, abstinere, invidere; et simplicia: solvi, regnare, mirari, damnari.

Adnotio II[a]: verb. compp. participia ‚prognatus, editus, demissus' ad similitudinem participp. ‚ortus natus etc.' ita construuntur, ut praepositio nisi majores dicuntur [sed parentes] non addatur.

B.

Verba cum praepp. ‚pro, sub, super' et cum inseparabilibis ‚dis-, se-, re-' composita.

Verborum quaec hic spectanda sunt, tria inveni genera: primum separandi, aut causative aut intransitive dicta; alterum distinguendi, tertium eorum, quibus convertendi vel mutandi notio subest.

I. verba separationem significantia.

§ 9.

Inquirendum est, etiamne hujusmodi verba regulae illi supra (§ 1) allatae accomodare possimus; quod ut videamus, ipsa verba et quae ea sequntur objecta, in conspectum edamus.

	praep.	*abl. rei*	*dat. pers.*
dimoveo		litore	
dirigo		arcu	
discedo	ab hoste		
distineo	a domo		
disto		foro	
divello			novo adultero
procedo	ab incepto		
prohibeo		rixis, cheragra, concubitu	
promoveo		loco	
propello		nido	
prorepo		primis terris	
prospicio	ex moenibus		
provoco	ab inguine		
vecido			sibi
redeo	ab officiis, a furno lacuque		
refligo		certis limitibus	

	praep.	abl. rei	dat. pers.
religo		udo litore, saxo	
removeo	ab se, a te, de quincunce, vitio ab omni, a volgo, ex urbe, a volgo et scena		
reno		imis vadis	
repello		foribus	
repeto	ab ora		
reporto		bello	
retorqueo		litore	
revertor	a ponte		
secerno	ab Afro		
semoveo		terris	
subduco		domo	
sumo	de medio, magno de flumine, ex hoc fonticulo		
suscito	solis ab ortu		
suspendo		naso, lacerto, naso, mento, tabula.	
sustuli:	ex oculis.		

Optime igitur legi, quam supra constituimus, conveniunt haec verba: sequitur ablativus nude positus, si de rebus motus fit; sin de personis, dativus; at praepositio semper locum habet, sed cum iis nominibus non conjungitur, nisi quae res sensibus subjectas significant.

Sed veniamus ad ipsos locos enumerandos:

I. verba cum di — compp.

1) dimoveo: O. IV 5_{14}: Curvo nec faciem litore dimovet; contra O. III 8_{10}: ‚Hic dies . . . Corticem adstrictum pice dimovebit Amphorae‘ ‚amphorae‘ dativum sociativum a voce ‚adstrictum‘ pendentem intellegendum esse liquet.

2) dirigo: O. IV 9_{18}: Primusve Teucer tela Cydonio Direxit arcu.

3) O. III 5_{21}: arma Militibus sine caede Direpta vidi; O. IV 15_7: signa . . Direpta Parthorum superbis Postibus:

ita enim nonnulli pro ,derepta', quod perpaucis in codd. (Bland.) legitur, scribere volunt: at ,derepta' magis probandum est, sed non, quo deripi „ein gänzliches scheiden," diripi „nur den Moment der trennung" significet (Nauck ad O IV 15_7), sed quia ipsam prapositionis ,de' notionem („von oben nach unten") his locis praevalere apertum est; quare locos illos jam supra s. v. deripio non sine causa attuli.

4) discedo: forma ,victorem discedere' legitur Ep. I 10_{37}: Sed postquam victor violens discessit ab hoste (scl. equus); semel cum particula: hinc vos, Vos hinc mutatis discedite partibus S. I 1_{18}; sed S. I 5_{93}: „Flentibus hic Varius discedit maestus amicis" ,flentibus am.' abl. abs. est.

5) distineo O. IV 5_{12}: quem (juvenem) notus . . . Dulci distinet a domo.

6) disto: Ep. I 7_{48}: foro nimium distare carinas . . . queritur.

7) divello: O. I 36_{19}: nec Damalis novo Divelletur adultero.

II. verba c. ,pro' praep. compp.

8) procedo: persona Qualis ab incepto processerit a. p. 127.

9) prohibes: O. I 27_4: verecundumque Bacchum Sanguineis prohibete rixis. Ep. I 1_{31}: Nodosa corpus nolis prohibere cheragra; a. p. 398: Concubitu prohibere vago; O. II 6_9: Unde si parcae prohibent iniquae.

Eodom modo construitur arceo: Ep. I 8_{10}: Cur me funesto properent arcere veterno; cf. supra § 5 s. v. defendo.

10) promoveo ep. 11_{14} deus . . . arcana promorat loco (h. e. „gleichsam aus seinem versteck.")

11) propello: O. IV 6_4: patrius vigor Nido laborum propulit inscium.

12) prorepo: S. I 3_{99}: Cum prorepserunt primis animalia terris.

13) prospicio: O. III 2_8: illum ex moenibus hosticis Matrona bellantis tyranni Prospiciens.

14) provoco: ep. 8_{19}: Quod ut superbo provoces ab inguine.

III. verba cum ,re' compp. [1])

15) recido: S. I 10_{69}: Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra Perfectum traheretur.

---

[1]) legitur S. I 2_{127}: „Nec vereor, ne dum futuo, vir rure recurrat," qui locus nultius momenti est, quia semper nudus abl. ,rure' usurpatur: ep. 5_{75}: „Non usitatis Vare potionibus . . . Ad me recurres" ,non usit. pot.' abl. instr. est.

16) r e d e o: Ep. I 7_{48}: ab officiis octavam circiter horam Dum redit; S. I 4_{37}: omnes ... a furno redeuntes ... lacuque Et pueros et anus.

17) r e f e r o: S. I 6_{115}: inde domum me .. refero; sed II 4_{90}: „Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta" memori pectore non „aus treuem gedächtniss" sed „mit treuem gedächtniss" vertendum est.[1])

18) r e f l i g o: qua populus adsita certis Limitibus vicina refligit jurgia Ep. II 2_{171}; Sic nos cum Holdero pro ‚refugit' vel ‚refigit' quae perversae lectiones in codd. traduntur; de abl. sep. cf. Krueg ann.

19) r e l i g o: O. I 32_{7}: Sive jactatam religarat udo Litore navim; S. I 5_{19}: retinacula mulae Nauta piger saxo religat: quos ablativos aeque atque eos, qui verbis haereo, suspendo adjunguntur, separativos esse condendo.

20) r e m o v e o: semper cum praep. construitur: O. III 5_{43}: Fertur pudicae coniugis osculum .. Ab se removisse; S. I 6_{18}: a volgo longe longeque remotos: S. II 1_{71}: ubi se a volgo et scena in secreta remorant; S. II 5_{52}: tabulas a te removere memento; S. II 6_{16}: ubi me in montes et in arcem ex urbe removi; a. p. 327: si de quincunce remota est Uncia; a. p. 384: vitioque remotus ab omni.

21) r e n o: ep. 16_{25}: Simul imis saxa renarint Vadis levata.

22) r e p e l l o: foribusque repulsum Perfundit gelida S. II 7_{90}.

23) r e p e t o; O. III 14_{3}: Caesar Hispana repetit penatis Victor ab ora: S. I 9_{44}: Hinc repetit.

24) r e p o r t o: ep. 9_{24}: nec Jugurthino parem Bello reportasti ducem.

25) r e t o r q u e o: O. I 2_{13}: retortis Litore Etrusco violenter undis.

26) r e v e r t o r: S. II 3_{36}: (iussit) a Fabricio non tristem ponte reverti.

IV. verba cum ‚se' compp.

27) s e c e r n o: O. III 3_{47}: qud medius liquor Secernit Europen ab Afro.

28) s e m o v e o: Ep. II 1_{21}: nisi quae terris semota ... videt.

V. verba cum ‚sub' praep. compp.

29) s u b d u c o: O. I 3_{30}: Post ignem aetheria domo subductum.

---

[1]) cf. Lucr. II 582: „memori mandatum mente tenere;" III 871 (858 Lachm.): „nec memori tamen et quimus reprehendere mente," quos locos nescio an H. imitatus sit.

30) sumo: O. III 5_{37}: unde vitam sumeret aptius; S. I 1_{56}: Magno de flumine mallem, Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere; a. p. 243: Tantum de medio sumptis accedit honoris.

31) suscito: O. III 27_{12}: Oscinem corvum prece suscitabo Solis ab ortu.

32) suspendo:[1] ep. 5_{36}: quantum exstant aqua suspensa mento corpora; S. I 6_5: naso suspendis adunco Ignotos; S. I 6_{74}: ‚Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto‘; idem versus leg. Ep. I 1_{56}, ubi spurium puto: cf. Kirchner pg. 234 fin; S. II 8_{64}: Balatro suspendens omnia naso; Ep. II 1_{97}: suspendit picta voltum mentemque tabella.

Dativus commodi exstat O. I 5_{15}: me tabula . . . paries indicat uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris deo („dem gott zu eren.“)

Addatur hic, quomodo verba pendere et haerere ab. H. construantur (cf. etiam religare pg. 32.)

pendere: Respicere ignoto discet pendentia tergo S I 3_{294}: prave sectum stomacheris ob unguem De te pendentis . . . amici Ep. I 1_{105}; S. I 4_6: Hinc omnis pendet Lucilius

haerere: a. *c. dat.:* Veneremque et illi Semper haerentem puerum canebat O. I 23_{10}; Haerentem capiti cum multa laude coronam S. I 10_{49}: Quod non proposito conducat et haereat apte. a. p. 195.

Quorum locorum ex similitudine dat. etiam his locis intellegi potest (= inhaerere, adhaerere): Et scindat haerentem coronam Crinibus immeritamque vestem O. I 17_{27}; Nescit equo rudis Haerere ingenuus puer O. III 25_{55}; Cetera (vitia) . . . stultis haerentia S. I 3_{77}; haeret Invisis foribus S. II 3_{261}; Naevius . . non mentibus haeret Paene recens? Ep. II 1_{53}.

b. *c. abl.:* Piscium et summa genus haesit ulmo O. I 2_9; ut haerentes adverso litore naves Eriperem S. II 3_{205}.

c. *c. praep.:* male laxus In pede calceus haeret S. I 3_{32}.

33) sustuli: O. I 34_{16}: hinc . . Fortuna . . sustulit; O. III 24_{13}: (virtutem) Sublatam ex oculis quaerimus.

§ 10.

Invenitur etiam hac in particula commentationis exceptio quaedam, quae legi nostrae non convenit:

surripio: quod verbum aeque atque illa quae supra § 5 tractavi, omnino ablativum respuit, quia partes jam ita coa-

---

[1]) De variis verbi ‚suspeudo‘ constructionibus cf. lex. Georgis s. v. suspendo, sectionem primam [locis ibi enumeratis adde Phaedr. 4_{12}: „alienis (vitiis repletam peram) ante pectus suspendit gravem“: „vorn an der brust“] et Kühn. pg. 432 c.

luerunt, ut compositum verbum esse non jam sentiretur et propterea jam pridem certam quandam firmamque constructionem acciperet:

a) *c. dat.:* O. IV 13_{20}: Quae me surpuerat mihi; S. II 3_{284}: unum me surpite morti;

b) *c. praep.:* Nam de mille fabae modiis cum subripis unum Ep. I 16_{55}.

II. verba distinguendi. [1])

§ 11.

Quomodo fere omnia adiectiva, quibus aequitatis vel similitudinis notio inhaeret, dativum adsciscunt, ut

,par sum alicui, similis sum alicui'

et propterea etiam verborum, quae eadem sonant nonnulla tertio casui adjunguntur, ut

,aequare alicui aliquid'

ita etiam quae contrariam induunt notionem, quamquam plerumque abl. separativum praeferunt, interdum dativum adsciscunt. Quam constructionem cur Ruddimannus pg. 149 a Graecorum more derivatam esse contendat, causam non video; potius mihi idem videtur dativus esse ac quem verbo ,adjacere' vel adj. ,utilis' adjunctum videmus quemque quia omnis generis verbis, in quibus conjunctio quaedam vel contaria notio inest, sive localem habent vim, sive mente modo ac cogitatione eam perspicere possumus, haud incommode „dativum consociationis sive sociativum" appellare possumus. Quocum non solum adjectiva ,par, similis, aequalis etc.' et verba ,aequare, adaequare, adhaerere, etc.' sed etiam eorum omnium contraria, ut ,impar, dissimilis, inaequalis, ,vel, differre, discrepare, dissidere alia' prasertim posterioribus temporibus construuntur. Atque poetae, qui quidem semper, ut jam dixi, altius exsurgentes, quae „jejunitatem existiment redolere' repudient rationemque, qua sententiae reconditae atque exquisitae se excipiant, novam quandam et inusitatam praeferant, etiam hac in reliberius illa constructionis licentia utentes, praeferebant dativum alteri inveteratae ac pedestri orationi probatae locutioni, quippe quae ablativo magis faveret, cum separationem inter res comparatas intercedentem clarius indicaret.

Sed priusquam ad ipsos, ubi exstant exempla locos enumerandos accedamus, iterum non inutile erit singula objecta, sive in nudis casibus posita sunt, sive cum praepp. verbis affixa, in ordinem digerere, ut facilius, utram unicuique verbo constructionem H. adhibuerit, oculis videre liceat.

---

[1]) cf. Kühn. II 234 sqq.; Haase pg. 145 sqq.; Draeg. I² 445 sqq.

Inveniuntur igitur et verba et adjectiva constructa cum

	dat.	*abl.*	*praep.*	*cas. dub.*
differo	sermoni, colori			
dinosco		hoste		curvo
discolor	meretrici			
disconvenit [1])	vitae?	ordine?		
discordo				avaro.
discrepo	nepoti			is[illegible]s, primo, [illegible]mo, Delphis, vino, lucernis
dispar	meretrici			
dissentio				condicionibus
dissideo	sedi, plebi.			
dissimilis [2])	illi, noto (succui), (Semel c. genit.)			
distinguo				vero
disto [3])	sepultae inertiae, scurrae	hac carne	ab Inacho, a victu	lupinis, exactis (neutr.)
diversus	huic vito			
secerno				privatis, profanis, justo, turpi, populo
sepono				lepido dicto
	quibus addo:			
absonus				fortunis
iniquus	tibi, Trojae			vitiis, frugibus.
impor	tibi, sibi			
varus	huic.			

Jam id apparet, dativum nude positum longe praevalere, sive de rebus, sive de personis verba fiunt; sed quia satis difficile ex conspectu illo, utrum in modum intellegamus casus dubios, colligitur, usui erit ipsos locos adjungere, quorum ex uno alterove argumentum aliquod ad cognoscendam constructionis naturam nescio an suspicari possimus.

---

[1]) cf. Rothmal. l. c. pg. 24 (ἅπαξ εἰρ. ημένον.); praeterea legitur pau[illegible] Lactantium ,de ira Dei' 3₁: „est disconveniens Deo, ut . . .“
[2]) cf. Dittel pg. 40.
[3]) alibi significatio loci mera est: cf. supra § 9 ₆ et ₂₇.

1) differo: S. I 4_{48}: nisi quod pede certo Differt sermoni; a. p. 236: Nec sic enitar tragico differre colori.

2) dinosco: Ep. I 15_{29}: Impransus non qui civem dinosceret hoste; Ep. II 2_{44}: Scilicet ut vellem curvo dinoscere rectum.

3) discolor, dispar: Ut matrona meretrici dispar erit atque discolor Ep. I 18_{3}.

4) disconvenio: Ep. I 1_{99}: ‚vitae disconvenit ordine toto': ita Ditt. pg. 22; sed melius abl. ‚ordine toto' ad verbum referri existimo: „steht mit der ganzen ordnung der welt in widerspruch." [alii abl. instr. intellegunt: „steht in der ganzen weltordnung mit sich im widerspruch"]. — Impersonaliter legitur Ep. I 14_{18}.

5) discordo: Ep. II 2_{194}: quantum discordet parcus avaro.

6) discrepo: O. I 27_{6}: Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat; S. I 6_{92}: Longe mea discrepat istis Et vox et ratio; S. II 3_{108}: Qui discrepat istis, qui nummos aurumque recondit; Ep. II 2_{194}: quantum simplex hilarisque nepoti discrepat; a. p. 152: Primo ne medium, medium ne discrepet imo; a. p. 219: divina futuri Sortilegis non discrepuit sententia Delphis („per brachylogiam pro sententiis Delphicis" Krueg.)

7) dissentio: O. III 5_{14}: mens provida Reguli Dissentientis condicionibus Foedis et exemplo trahenti (alii ‚trahentis') Perniciem veniens in aevum.

8) dissideo: O. II 2_{18}: Dissidens plebi; de O. III 8_{20}: „Medus infestus sibi luctosis Dissedet armis" cf. Nauckii adn.

9) dissimilis: S. I 6_{49}: Dissimile hoc illi est; S. II 8_{28}: Longe dissimilem noto celantia sucum.

Sed semel etiam cum genetivo ad similitudinem adj. ‚similis' construitur: S. I 4_{112}: Sectani dissimilis sis; cf. Kühn. 327 h, adn. 8.

10) distinguo: Quam qui non poterit vero distinguere falsum Ep. I 10_{29}.

11) disto: O. III 19_{1}: Quantum distet ab Inacho Codrus; O. IV 9_{29}: Paullum sepultae distat inertiae celata virtus; S. II 2_{29}: Carne tamen quamvis distat nil hac magis illa (cf. ann. Krüg.); S. II 2_{53}: Sordidus a tenui victu distabit; Ep. I 7_{23}: quid distent aera lupinis; Ep. I 18_{4}: infido scurrae distabit amicus; Ep. II 1_{72}: exactis minimum distantia.

12) diversus: Ep. I 18_{5}: Est huic diversum vitio vitium prope majus.

adversus: Ep. I 6_{9}: Qui timet his adversa.

13) secerno: O. I 1_{32}: me gelidum nemus Nympharumque leves cum satyris chori Secernunt populo; S. I 3_{113}: Nec natura potest iusto secernere iniquum; S. I 6_{63}: qui turpi Secernis honestum; a. p. 397: Publica privatis secernere, sacra profanis; Sed ep. 16_{63}: „Jupiter illa piae secrevit litora genti“ dat. com. exstat („für sein frommes geschlecht“).

14) sepono: a. p. 273: scimus inurbanum lepido seponere dicto.

15) absonus: a. p. 112: Si dicentis erunt fortunis absona dicta.

16) iniquus: O. I 2_{47}: „Neve te nostris vitiis iniquum Ocior aura Tollat“, ubi Nauckius abl. causae intellegit; sed quia simpliciora etiam meliora, laudo Dittelium, quod pg. 35 illum refutavit; O. I 10_{15}: iniqua Troiae castra; S. II 2_{97}: te tibi iniquum; a. p. 67: Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis.

17) impar: O. IV 6_5: Ceteris major, tibi miles impar; S. I 3_{19}: Nil fuit unquam Sic impar sibi.

18) varus: S. II 3_{56}: Alterum et huic varum (cf. Ditt. pg. 41.)

Bis omnino legitur praepositio, utroque loco verbo ‚distare‘ apposita; bis nudus ablativus, quorum qui adjungitur verbo dinoscendi (hoste), ea mihi re effectus videtur esse, quod semper, quantum ex lexicis cognosci potest, ablativum aut merum aut praep. auctum adsciscit: quare etiam ‚curvo‘ (curvo dinoscere) abl. est; alter, qui verbo ‚distare‘ subjunctus est (hac carne), loci natura defenditur[1]) (vide infra).

Sed quinam quae in dubium vocari possunt exempla intellegenda sint, docet optime Nauckius, qui ad O. I 27_5: haec adnotat: „der abl. (genauer mit a) drückt mehr die abweichung und verschiedenheit, der dativ mehr eine disharmonie und einen widerstreit (quod non convenit, sed repugnat) aus; demnach wird ‚vino et lucernis‘ so sicher für den ablativ, als ‚primo et medio‘ a. p. 152 für den dativ zu halten sein.“ Quae quod repudiem, non habeo; firmantur enim omnibus exemplis, quae dubitationi locum non dant. Itaque S. II 3_{108}: ‚istis (scl. deliris hominibus-avarus) discrepat‘ et S. I 6_{92}: ‚istis (= istorum voce et ratione) discrepat mea vox‘, cum non contentio aliqua aut dissensio, sed mera diversitas in illis formis insit, ablativos intellego; contra quod legitur a. p. 219: ‚Sententia discrepuit Delphis‘, dativum exhibet; idem (‚avaro‘) verbo ‚discordare‘ adjunctus est; probatur enim cum Nauckiana illla lege, tum locutionibus ‚mere-

[1]) at cf. de ‚hac cruce interpretum‘ adn. Krüg. et quos affert VV. DD. de hoc loco disputantes in appendice.

trici‘ (adj. ‚discolor‘ apposito) et ‚sibi, plebi‘ (quae verbum ‚dissidere‘ sequuntur), non quo omnes illi dativi de personis dicantur, sed quia verbis ipsis omnibus, quae modo dixi, eadem fere significatio subest semelque dativus enucleate usurpatur. Quamquam dativum personae persaepe ab Horatio adhiberi apparet ex conspectu illo, quem dedi, ut ‚meretrici discolor, iniquus sibi, impar tibi, sibi, discrepo nepoti, dissidet sibi, plebi, disto scurrae, etc.‘, quibus omnibus, quam recte Nauckius illam legem constituerit, satis demonstratur.

Quam secutus legem etiam vocem ‚condicionibus‘, verbo ‚dissentire‘ adjunctam dativum esse existimo, praesertim cum etiam apud Senecam ep. 20_2, ubi plane eadem significatio subest, dativus exstet: „ut non . . orationi vita dissentiat“; at abl. legitur in locutione ‚vero distinguere falsum.‘

Ad Ep. I 7_{48} Orellius adnotat: „Hic ubi loquitur de loco est ablativus, alia est ratio (scl. verbi distare) in personis v. 23 coll. Ep. I 18_4.“ Sequitur ut duobus his, quos confert, locis dativum intellegat. (Ep. I 7_{28}: „quid distent aera lupinis“; Ep. I 18_4: infido scurrae distabit amicus“). Sed non videt duas et eas ita diversas significationes in verbo ‚distare‘ inesse, ut altera cum altera confundenda non sit; certe ubi loci natura praevalet, ut Ep. I 7_{48}: ‚foro distare carinas queritur‘ ablativus intellegendus est; nam pertinet locus ad priorem hujus commentationis partem, ubi verba separandi tractavi; sed longe alia est quaestio, valeatne eadem constructio, cum verbum ‚distare‘ in distinguendi vim abiit; quod putare vel ea re satis prohibemur, quod intellegi vix potest, cur ‚distare‘ aliter atque alia distinguendi verba construatur; huc accedit quod S. II 2_{29}, etiamsi de loco non agitur, enucleate ablativus legitur: „Carne tamen quamvis distat nil hac magis illa;“ eadem forma, quocunque modo eam interpretaris, — nam hujusmodi ablativum vix credo removeri posse — satis demonstat Nauckianam illam legem ad ‚distare‘ quoque verbum quadrare; quare ablativus statuendus est etiam Ep. I 7_{28}: ‚quid distent aera lupinis;‘ idem Ep. II 1_{72}: ‚exactis minimum distantia‘ satis indicatur cum ipsa quae inest in loco sententia, tum voce ‚minimum‘, utpote accusativo spatium seu distantiam, ‚quantum‘ res exactae a non exactis quodammodo discedant, exhibente.

Restant verba ‚secerno‘ et sepono‘, quae quia idem significant, uno eodemque modo tractari possunt; itaque ubi subest notio discernendi vel distinguendi mera, ablativus intellegendus est; dativus, ubi res altera ab altera seponitur, ne inter sese repugnent. Quare O. I 1_{31}: ‚me chori populo secernunt‘, S. I 3_{113}: iusto secernere iniquum, S. I 6_{63}: turpi secernis honestum‘ ablativi leguntur, contra dativi: a. p. 273

,inurbanum lepido seponere dicto' et a. p. 397 ,publica privatis secernere, sacra profanis', quibus locis ne alterum cum altero contendat, causative judico dictum esse.

Adjectivorum, quae adhuc omisi significatio ea est, ut dativus locum habeat: quem videmus aperte adjunctum vocibus ,dispar, diversus (huic vitio), iniquus, impar, varus (,alterum et huic varum — h. e. contrarium — scl. genus); itaque etiam ,fortunis,' quod adjectivum 'absonus' sequitur, ,vitiis, frugibus', quae ,iniquus' adsciscit, dativi sunt[1]); semel praeterea ex analogia vocabuli ,similis' Horatius genetivum usurpat satis probatum casus secundi natura: ,Sectani dissimilis.'

Nunc igitur conspectus ille dubitationibus sublatis hanc speciem prae se fert:

Usurpatur	*dativus*	*ablat.*	*praep.*
differo	sermoni, colori		
dinosco		hoste, curvo	
discolor	meretrici		
disconvenit	vitae (?)	ordine (?)	
discordo	avaro		
discrepo	nepoti, primo et medio, Delphis	vino et lucernis, istis (hominib.) istis (= istorum voce.)	
dispar	meretrici		
dissentio	condicionibus		
dissideo	sedi, plebi		
dissimilis	illi, noto (sucui)		
distinguo	vero		
disto	sepultae, inertiae, scurrae	carne, lupinis, exactis.	ab Inacho, a tenui victu.
diversus	huic vitio		
adversus	his (rebus)		

[1]) adnotat Heindorfius ad S. II 3_{107} (aversus mercaturis): „wie oden II 4_{19}: „lucro aversam" wol der dativ nach der poetischen construction aller verba dissidendi" (?), quibus addit exempla ex Quint. et Sen. sumpta. Sed equidem apud H. minus ,dissensionis' significationem illi adjectivo subjungo, quam ,separationis'; quare ex lege mea ablativum illis locis statuendum esse existimo; v. supra § 2 s. v. averto.

Usurpatur	*dativus*	*ablat.*	*praep.*
secerno	privatis, profanis	populo, justo, turpi	
sepono	lepido dicto		
absonus	fortunis		
iniquus	tibi, Trojae, vitiis, frugibus		
impar	tibi, sibi		
varus	huic.		

Quodsi quis quaeret, rectene censeant, qui dicant dativi usum magis magisque et in rerum et in personarum distinctione a recentioribus inde a Livio essse frequentatum, respondendum erit, apud Horatium re vera consuetudinem illam satis late patere: undetricies dativus adhibitus est, undecies ablativus, bis adjuncta est praepositio.

§ 12.

Verborum, quibus est notio aliquid ex alia quadam re exstitisse vel ortum esse, formae hae exstant:

recoquo: recoctus scriba ex quinqueviro S. II 5_{55},

prodeo: prodis ex judice Dama Turpis S. II 7_{54}.

Sequitur igitur semper praepositio ‚ex', quam etiam orationis solutae scriptores semper illis verbis adjungere, cum de transfiguratione dixerunt, satis tritum est:[1]) at omittit H. interdum praep. ‚ex' post simplicia, ut S. II 8_{45}: His mixtum jus est (cf. Neuss l. c. pg. 24 et adn. 1); O III 1_{46}: Cur invidendis postibus . . . moliar atrium? cf. etiam S. I 10_{23}: ‚at sermo lingua concinnus utraque Suavior' (apte compositus' adn. Kirchnerus, quem secutus est Krüg; cf. Neuss l. c. adn. 2.)

[1]) plane contraria constructio legitur a. p. 4: ‚desinat in piscem mulier'.

II.

De dativo sociativo.

§ 13.

Quoniam priore parte de separandi verborum structura disputavimns, nunc quae iis sunt contraria verba iunctionis consociationisque notione praedita pertractemus.

Linguae latinae id proprium ac peculiare est, ut multa ejus verba praepositione demum, quacum composita sunt appropinquationis vel conjunctionis vim assumant, quamquam simplicia ita comparata sunt, ut rationem aliquam inter duas intercedentem personas vel res significare nequeant. Quo pertinent praepositiones: ‚ad, ante, con, in, inter, ob, post, prae, sub, super'; ita, ut afferam exemplum, verborum ‚iacēre' et ‚jacĕre' natura ita est ampla ac parum definita, ut consociationem quasi quandam et conjunctionem sonare non possint; quam notionem ipsa compositione verbis ‚adjacere' et ‚adicere' imponi affatim notum est.

Exstant talia verba cum praepp. composita in lingua latina permulta, sed alias aliis temporibus assumebant constructiones; primum enim sequi potest dativus, cujus natura ea est, ut generaliter exprimat, quo actio verbi referenda sit: quod utrum sensibus subjectum sit necne, haud certe differt; quare qui sequitur dativus verbum ‚adjacere' idem est, ac qui verbo ‚dare' vel aliis adjungitur; nam hic et illic duae conjunguntur vel componuntur res, quarum altera alterius actioni proposita est (Kell. Lehm. Ign.); quae conjunctio — et hac quidem re differt casus tertius a secundo, qui post substantivum habet locum — effici potest aut verbo quodam apposito aut adjectivo.[1])

Sequitur ut pervariae iis junctionibus subjici possint rationes: aut enim ad personam, aut ad rem aliquam actio pertinere potest, cui seu proprie seu tralate aliquid aut tribuatur, aut jam ante fuerit, aut contingat vel appropinquet, aut cohaereat, aut denique usui vel detrimento fiat.

---

[1]) quod quam recte dixerim, optime elucet ex h. p. a. p. 178: „Semper in adjunctis aevoque morabimur aptis," ubi dativus ‚aevo' uno eodemque modo et ad participium ‚adjunctis' et ad ‚adjectivum' ‚aptis' pertinet; de tota quaestione cf. Lehmann, l. c. pg. 7 coll. 18; Augustin ‚de usu dativi ac praepp. in structura verb. compp., quae apud Cic. leguntur', prgr. Ratib. 1869 pg. 2; Ignatius l. c. pg. 7; Hahn l. c. pg. 3—4.

Altera constructio ea est, ut iteretur praepositio, aut eadem, quacum ipsum verbnm compositum est, aut alia, cui similis subjecta est notio.[1]) Quod fit, ut loci vis mere dilucideque significetur, vel ubi a primaria significatione recessum est accuratius dicatur, quae intercedat conjunctio quove ratio verbi spectet et pertineat: ‚accedes siccus ad unctum‘, ‚leniter in spem adrepe.‘

Tertia, quae invenitur, constructio tractata est hj. comment. parte III.

At si universam spectamus linguae latinae consuetudinem, paullatim variatam et commutatam eam esse facile apparet; namque antiquiores scriptores cum compositorum partes pro se quamque sentirent, praepositiones iterare praeferebant; easdem optimi posteriorum temporum prosaici scriptores, cum imprimis subtilitatem locutionis atque diligentiam persequerentur, plerumque non respuebant; poetae demum et qui eos secuti sunt solutae orationis scriptores, quorum in animis compositionis partes jam arctius ac quodammodo inseparabilius concrevissent, eam constructionem quam novam significationis naturam optime decere putarent, i. e. dativum usurpare adamabant.[2])

Idem in H. pertinere optime demonstratur conspectu hoc, secundum litterarum seriem disposito, quem ita institui, ut numeris, quam saepe singula verba aut dativus aut praepositio sequatur, indicem:

legitur	*dat.*	*praep.*	*legitur*	*dat.*	*praep.*
accedo	6	2 (ad)	adicio	4	
accresco	1		adjudico	1	
accubo	1		adjungo	2	
addo	19		adlaboro	1	
addico	1		adlino	1	
adduco		1 (ad)	admitto	1	1 (in)
adfero	1		admoveo	3	
adfigo	3		adnuo	2	
adflo	1		adpingo	1	
adfulgeo	1		adplico	2	
adhaereo	3		adpono	3	
adhibeo	2		adrepo		1 (in)

[1]) cf. Lehm. pg. 8 n. 3; Ign. pg. 134, 352; alia est res in vernacula lingua, ubi praeter certas nonnullas locutiones semper praep. aut eadem iteratur, aut similis, qua distinctius exprimatur actionis ratio, supponitur: „eingiessen in den topf“; „anspringen gegen die mauer“, ubi dativus nunquam locum obtinet: qui semper postponitur verbo ‚einflössen‘ aliis paucis.

[2]) cf. Keller, ‚de verb. c. praepp. compositorum apud Lucret. usu‘ (diss. inaug. Hal. Sax. 1880) pg. 6 coll. iis, quos sub textu affert.

	legitur	*dat.*	*praep.*
adrideo		2	
adrogo		4	
adscribo		2	
adsero		1	
adsideo		3	
adsisto		1	
adspiro		1	
adsuesco		1(?)[1]	
adsuo		1	
adsum		10	1 (ad)
adsumo		1	
attendo			
(attentus)		1	
attinet			1 (ad)
advoco		1	
antefero		2	
concurro		1	
conduco		1	
coeo		2	
confero		1	
confundo		3 (?)	1 (cum)
collido		1	
colludo		1	
compello		1	
consentio		1 (?)	
consto		1	
contendo		1	1 (cum)
continuo		1 (?)	
convenio		5	1 (inter)
	conveniens	3	
illabor		1	
illido		1	

	legitur	*dat.*	*praep.*
illigo [2])		2	
illino		4	
illudo		3	
	immersabilis	1	
immineo		2	
immisceo		1	
immorior		1	
impello			1 (ad)
impono		9	
	pono	4	
imprimo		3	
inaestuo		1	
inardeo[3])		1	
incedo			2 (per)
incīdo		3	
incido[2])		2	
inclino		1	
incogito		1	
incoquo		1	
incubo		1	
iucumbo		1	
incurro		1	
incutio		3	
indico		1	
indormio		2	
induco		2	
inemorior		1	
infero		3	
	figo	1	
ingemo		1	
ingero		1	

---

[1]) interrogationis signum addidi, si discerni non potest, utrum verbum regimen ‚aliquem aliqua re' an ‚aliquem alicui rei' admiserit.

[2]) legitur praeterea inversa constructio:
illigatus, incisus } aliqua re; cf. hj. comm. partem III.

[3]) ab hoc verbo, neque ab verbo ‚inardesco' perfectum ‚inarsi' derivandum esse, docet C. v. Paucker: „materialien zur lat. wörterbildungsgesch.", pars I: „die mit praepp. zusammen gesetzten vv." pg. 3, init. (Berol. Calvary 1883.)

	legitur	*dat.*	*praep.*
inhaereo		1	
inhor-resco		1	
inicio		4	
innascor		2	
innato		1	
inno		1	
inrogo		1	
insculpo		1	
	scalpo	1	
insenes-co		1 (?)	
insero (vi)		1	
insero (ui)		3	
inservio		1	
insideo		1	
insisto		1	
insterno		1	
instillo		2	
insto		4	
insudo		1 (?)	
insulto		1	
insum		3	
intendo		1,3(?)	
intono		1	
intor-queo		1	
invideo		6	
involito		1	
intermis-ceo		1	
intersum		3	
obdo		1	
obligo		1	
occurro		1	
offendo		1	
offero		5	
officio		2	
obicio		6	
oppedo		1	

	legitur	*dat.*	*praep.*
oppono		2	
obrepo		1	
obsisto		1	
obsto		5	
obstrepo		2	
obsum		1	
obtingo		1	
obvius venio		1	
postpono		2	
praefero		2	
praelu-ceo		1	
praeni-teo		1	
praepo-no		3	
praesto		1	
procido			1 (ad)
propono		2	
propug-no		1	
porrigo		3	
succedo		1	
subjecto		1	
subicio		4	
subjun-go		1	
suppeto		2	
suppono		4	
subscri-bo		2	
subsido		1	
sub-stringo		1	
subsum		2	
suffigo			1 (in)
superi-cio		1 (Haupt)	
super-fundo		1	

§ 14.

Haud sane opus est, hoc loco omnes illas formas afferre, quibus verba cum praepp. ‚ad, ante, con etc.‘ compp. legantur: tractavit enim eas jamjam Dittelius l. c. inde a pagina vicesima tertia usque ad pg. tricesimam primam; quare satis habeo eos afferre locos, quos aut omisit ille, aut in quibus quid insigne inesse videtur.

1) accedo: Usurpatur nullo discrimine et dat. et praep.: quam ob rem quas Draegerus I² pg. 407 affert distinctiones, ad H. non referendae sunt. — S. II 2_{86}: „tibi quidnam accedet ad istam ... mollitiem“ praep. ‚ad‘ ea de causa videtur dicta esse, quod si dat. ‚mollitiei sive mollitie (cf. O. III 7_4: fide pro fidei.) diceretur, duo et ii impares inter sese dativi exstarent. Ad S. II 3_{140}: „accedere plures ad enumerandum“ recte adnotat D.: ‚praepositionem ‚ad‘ cum significet quem ad finem illud ‚accedere‘ fiat, non ex hoc pendere.‘

2) addo: O. III 4_{38}: ‚militia .. Fessas cohortes addidit oppidis‘ alii ‚abdidit‘ scribunt: at cf. Kell. epileg. 202. — praeterea omisit D: Ep. I 20_{22}: Ut quantum generi demas, virtutibus addas; Ep. II 1_{217}: si vis vatibus addere calcar.

3) adflo: *c. dat.:* eodem modo Tib. Prop· (cf. Schneemann l. c. pg. 22) sed c. acc. Verg. (cf. Rudd. pg. 136.)

4) adicio: om. D.: Calabris adjecti Lucani Ep. II 2_{178}.

5) adnuo: molle atque facetum Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae S. I 10_{45}; Ni ... pater adnuisset Rebus Aeneae ... muros O IV 6_{22};

Duae igitur exstant in hoc verbo notiones; aut enim significat ‚favere, propitium esse‘ (intransitive usurpatum), aut polliceri, promittere (in transitivam vim traductum.)

Itaque quae priore loco leguntur adjectiva ‚molle ac facetum, eodem modo intellegenda sunt, quo ‚dulce‘ in locutione ‚dulce ridebo‘; contra altero loco ‚muros‘ rei objectae vicem praebet. Errare autem mihi videtur Ebelingius cum utrumque locum ibi affert, ubi de verbis natura intransitivis in notionem transitivam abeuntibus verba facit: priorem locum ibi posuerim (pg. 9), ubi quem attigi hellenismum — ἡδὺ γελᾶν — tractat; secundus ideo non cum verbis ‚adeo, anteeo‘ etc. confundendus est, quod ‚rebus Aeneae‘ (dat), non ‚res Aeneae‘ (acc.) a poeta dictum est.

Etiam quae affert Draegerus I² 412 non satis dilucide exposita sunt: a falsa enim ratione proficiscitur, cum locutiones, ‚coeptis, ausis adnuere‘ et Ciceronianum illud ‚quos iste adnuerat‘ ‚die er durch nicken bezeichnet hatte‘ separari non posse existimat (‚quos adn.‘ liberius pro ‚quibus adnuerat‘); nam qui apud Ciceronem illo loco sequitur accusativus,

plane idem certe est, ac qui verbo transitive usurpato etiam alibi a Cicerone adjungi solet (zugestehen, versprechen, ‚bestimmen.‘)

6) adrepo: om. D.: leniter in spem adrepe S. II 5_{48}.

7) adscribo; simplex: ‚Scribe tui gregis‘ Ep. I 9_{13}: genetivus ex analogia gen. partitivi, qui verbis ‚facere, fieri‘ adjungi solet, quoque optime, quid intercedat inter casus secundum et tertium, demonstratur; nam genetivus, cum dicimus ‚aliquid alicujus est, fit‘ cum nomine conjungendus est et ita artissimam duorum nominum quae exstant cohaerentiam exprimit; contra quod per dativum dicitur ad verbum referendum est et hoc ipso tamquam extrinsecus alteri nomini apponitur.

8) adsuesco (?): non solum adsuesco sed etiam insuesco ab H. transitive dictum est: S. I 4_{105}: ‚insuevit pater optimus hoc me‘; de constructt. v. ‚adsuesco‘ cf. Georgis lexicon s. v. adsuesco et quos affert. VV. DD.

9) adsum: a. p. 102: ‚ita flentibus adsunt Humani voltus‘ D. ‚adflent‘ scribit: de qua lectione cf. Kell. adn. crit.

10) attinet: tamquam ad rem attinet quicquam S. II 2_{27}: (om. D.)

11) conduco: ‚Quod non proposito conducat‘ a. p. 195: (om. D.); de generibus verborum c. ‚com.‘ compp. cf. Varges „über bedeutung und geltung der lat. partikel ‘com‘ in der composition mit verben‘ progr. Stett. 1846, impr. pg. 10.

12) confundo: (?) S. II 4_{67}: ‚hoc . . . confusum sectis . . . herbis‘, ubi D. dativum praefert, Neussius l. c. quaestio II ‚de variis miscendi constructionibus‘ pg. 23 n. 3, intellegit ablativum; eundem a. p. 213 „Incoctus . . liberque laborum Rusticus urbano confusus“ (om. D.)

13) compello: D. haud inepte iis verbis inserit (pg. 43), quibus praesertim simplicibus motusque significatione praeditis a poetis liberius nudus dativus, locum significans, adjungitur; de qua structura cf. H. Kern, ‚zum gebrauch des abl. bei Vergil‘ prgr. Schweinfurt 1881 pg. 22 sqq., ubi optime refellitur sententia G. Schröteri, qui probante etiam postea Draegero dativi illum usum ex locativis manasse obtinebat (‚der dativ zur bezeichnung der richtung in der lateinischen dichtersprache‘, Jena (sine anno) diss. inaug.) —

Etiam in lingua sanscrita dativum ita esse usurpatum, ut viam cursumque aliquo directum significet docet B. Delbrueck „de usu dativi in carminibus Rigvedae,“ pg. 3 sqq. haec locutus: „saepissime conjungitur dativus cum verbis eundi, ita ut et homo, ad quem quid movetur, et res, ad quam adipiscendam aliquid fit, in dativo ponatur.“ —

Sed latissime haec structura patet in lingua Graeca: cf.

Oed. tyr 870: *οὐδὲ μήποτε λάθᾳ κατακοιμάσῃ* (scl. *νόμους ὑψίποδας*); ibid 1210: *θαλαμηπόλῳ πεσεῖν*.

14) consentio (?): Consentire suis studiis qui crediderint te Ep. I 18_{65}; Dat an abl?

15) continuo (?): O. III 16_{42}: Quam si Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem; alii neque ii pauci abl. intellegunt; sed cur illis adsentari nequeam, causa est, quod ‚Mygd. c.' primum elocutionis locum obtinet eaque re satis refutatur Nauckii illud: „die hauptsache ist ohne zweifel ‚regn. Alyatt.'

16) convenio: praeterea impersonaliter usurpatur S. I 7_{10}: postquam nihil inter utrumque convenit.

17) illino: semper c. dat. construitur; contra ‚collino' regimen ‚aliquem aliqua re' admittit: cf. hj. comm. partem IV app.)

18) immisceo: bis exstat praeterea ‚remiscere' „in quo vacabulo, quid sibi velit praepositio, difficile dictu est" (Rothmal. l. c. pg. 39): O. IV 15_{30}: Lydis remixto carmine tibiis, a. p. 151: sic veris falsa remiscet;

Ad priorem locum Neussius pg. 28, ablativum praeferens (tibiis), haec adnotat: „carmina enim remiscentur cum tibiis, non carmina remiscentur tibiis (dat.), ita ut remiscere idem significet, atque immiscere;" quod cur repudiem non habeo; sed altero loco dativus (veris) commendatur ipsa illa ratiocinatione, quam Neuss. § 1 fin. instituit.

19) impello: natura . . nos . . . . . impellit ad iram a. p. 109. (om. D.)

20) incedo: (om. D.) bis adjungitur praep. ‚per': Per meos et aprica rura Lenis incedas O. III 18_{3}; incedis per ignis suppositos cineri doloso O. II 1_{7}.

21) inemorior: (om. D.) Inemori spectaculo ep. 5_{34}.

22) infigo: non legitur apud H. sed simplex: Si figit adamantinos Summis verticibus dira Necessitas clavos O. III 24_{5}.

23) insculpo: Eodem modo (cum dat.) construitur verbum ‚scalpo': O. III 11_{52} sepulcro Scalpe querelam.

24) insenesco (?): insenuitque Libris et curis. Ep. II 2_{83}.

25) inservio: (om. D.) aetas animusque virilis . . . inservit honori a. p. 167; contra Plaut. regimen ‚aliquem inservio' exhibet.

26) insterno (om D.): modicis instravit pulpita tignis a. p. 279.

27) insudo (?): quîs (libellis) manus insudet S. I 4_{72}: nescio an dativum colligamus ex similitudine Calp. ecl. 5_{10}, ubi dativus ‚labori' verbo adjunctus est.

28) insum: apud Ciceronem praeter off. II 41_{151}: ‚quibus artibus inest' semper cum praep. dictum esse, adnotat Haas.

actio transire possit, necne, a singulorum arbitrio pendet [1]) ita etiam compositorum vv. significationes varie variis temporibus intellectas videmus: antiquioribus enim temporibus, ut primum de verbis cum praepp. ‚a, de, ex' compp. dicam, omnia fere, quorum simplicia eundi vel simili motus significatione praedita erant, cum acc. construebantur (cf. Ter. Hec. 378: „ut limen exirent"); quam consuetudinis libertatem aurei demum aevi scriptores pedestres ita coercuerunt, ut praeter certas nonnullas locutiones, ut „modum excedere s. exire, fines egredi" accusativum non passi praepositionem aut eandem aut similem iterare adamarent. At poetae et qui illos secuti sunt posteriorum temporum scriptores usum illum prioris aevi tam libere receperunt, ut etiam tum omnia hujusmodi verba vi transitiva induerent, cum de certo fine terminoque, quem ultra egrediendum non erat, non jam cogitabatur.

Eodem modo etiam in eorum structura, quae cum praepp. ‚ad, ante, con etc.' composita sunt, summa per singulas aetates latinae linguae inconstantia cernitur: ita, quae composita sunt cum ‚ad' et ‚in' praepp. a Plauto et iis qui eodem tempore libros scripserunt, cum acc. conjungebantur, nullo fere sententiae discrimine inter hanc et alias structuras intercedente.[2]) Item Lucretius haud raro quartum posuit casum, ubi inprimis ab aurei quod dicitur aevi scriptoribus solutae orationis dativus praeferebatur.[3])

Paullo constantior ratio in structura vv. cum ‚circum, per, praeter, trans' compp. observata videtur esse: eam enim fere omnia legem sequuntur, ut accusativum adsumant.[4])

At ex his, quae attuli, apparet, constructionis normam non tam in certis praeceptis praepositionum, quam in casuum vi et in ea, quae ex compositione proficiscatur verbi significatione (cf. invenio) positam esse; nam alii alia notionis intellegendae facultas data erat, cum alius simplex et quacum compositum est praepositionem ita separata sentiret, ut duae compositionis partes pro sua quaque significatione ad commutandam constructionem valerent, alius quasi tertium verbum nova praeditum significatione intellegeret, cui etiam novam quandam constructionem accommodaret.

---

[1]) cf. H. Müller, ‚de generibus verbi' diss. Gripsw. 1864, pg. 37 sqq.; Haase, vorlg. I, pg. 95 coll. pg. 157 et 55; Ebg. pg. 10.
Transitive usurpantur ab H. scando, propero, alia; idem si verbis affectum significantibus accusat. adjungit, non jam exempla exhibet insignia.

[2]) cf. Hahn pg. 25 coll. pg. 5.

[3]) cf. Kel. pg. 34 sqq.

[4]) de exemplis quibusdam, quae dativum praebent, cf. Haas. II, pg. 73 coll. pg. 126.

Sed non habeo, quod accuratius illa exponam: nam diversitates quae intercedant, non ad vim et naturam praepp. singularum — ut saepe fit — referendas esse jam satis superque demonstratum est ab illis, qui ante me de vv. compp. structura scripserunt, quorum commentariis tam diligenter quam accurate et dilucide factis nihil credo me addere posse.[1])

Itaque ad exempla ipsa colligenda accedamus.

§ 16.

A. Verba motum vel quietis statum significantia.

1) depropo: Qui udo Deproperare apio coronas Curatve myrto? O. II 7_{24} (tralate usurp.: „schleunigst bereiten"; simili notione praeditum simplex legitur: Ep. I 3_{28}: Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli.

2) enavigo: legitur passivum quo optime notio transitiva cernitur, O. II 14_{11}: unda scilicet omnibus . . Enaviganda.

3) effugio: quos . . Fallere et effugere est triumphus O. IV 4_{52}; Neque hoc parentes . . . Effugerit spectaculum ep. 5_{102}. Effugit tamen haec sceleratus vincla Proteus S. II 3_{71}; qui non se effugit unquam Ep. I 14_{13}; Legitur praeterea Ep. I 7_{32}: ‚si vis effugere ‚istinc', ad quem locum Ulricus l. c. pg. 3 n. 9 nescio an recte adnotarit: ‚ablativo ut uteretur fieri potuisse eum documento esse'; de hujus verbi usu Plautino cf. Ulr. pg. 3 coll. pg. 11.

4) erepo: quos nunquam erepsemus S. I 5_{79}.

5) evagor: ordinem Rectum evaganti . . . licentiae O. IV 15_{10}.

---

1) adeo: huc proprius me . . adite S. II 3_{81}; Non (cura) mediocris inest, fontes ut adire remotos queam S. II 5_{94}; Bis sequuntur urbium nomina: Gades aditure mecum O II 6_1; adire Corinthum Ep. I 17_{36}.

2) adurgeo: ab Italia volantem Remis adurgens, accipiter velut Molles columbas O. I 37_{17}.

3) anteeo: Te semper anteit saeva necessitas O. I 35_{17}.

4) incolo: Lydorum quidquid Etruscos Incoluit fines S. I 6_2.

5) ineo: illum ego lucidas Inire sedes patiar O. III 3_{34}.

6) insilio: ardentem frigidus Aetnam Insiluit a. p. 466.

7) insisto: Barbarus heu cineres insistet victor ep. 16_{11}; etiam cum dat. construitur: vide Ditt. l. c. pg. 30, ubi e Vergilio ejusdem duplicis constr. exempla afferuntur.

8) invenio: nudaque veritas Quando ullum inveniet

---

[1]) cf. impr. Le. pg. 3; Hahn pg. 5.

parem O I 24_8; verba . . . nominaque invenere S. I 3_{104}; Jura inventa metu injusti S. I 3_{111}; Invenias etiam disjecti membra poetae S. I 4_{62}; Primus et invenior . . . circumposuisse S. II 4_{75}; Thesauro invento S. II 6_{11}; invenietque Nil sibi legatum (scl. esse) praeter . . . S. II 5_{68}; Invidia Siculi non invenere tyranni Majus tormentum Ep. I 2_{58}; Invenior Parthis mendacior Ep. II 1_{112}; Fescennina per hunc inventa licentia morem Ep. II 1_{145}; Quod non plura datis invenerit Ep. II 2_{192}; quod Quaerit et inventis miser abstinet ap. 170; ignotum tragicae genus invenisse Camenae Dicitur . . Thespis a. p. 275; animis natum inventumque poema juvandis a. p. 377.

9) intererro: utinam intererrem Nuda leones O. III 27_{51}; adnotat Nauckius ad O. I 14_{19} scribendum esse non ,intererrem' sed ,inter errem': quod cur faciendum sit, causam non video (cf. S. I 6_{113} pererro.)

10) interludo: desine . . . Interludere virgines O. III 15_5.

11) interrepto: tacitum silvas interreptare salubres Ep. I 4_4.

12) praecurro: Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis S. I 7_8; licet sub paupere teeto Reges et regum vita praecurrere amicos Ep. I 10_{33}.

13) praefluo: quae Tibur aquae fertile praefluunt O. IV 3_{10}; Aufidus qui regna Dauni praefluit Apuli O. IV 14_{26}.

14) subeo: lucos, amoenae Quos et aquae subeunt et aurae O. III 4_8; Paratus omne Caesaris periculum Subire Maecenas tuo ep. 1_4; Nam ut ferula caedas meritum majora subire Verbera, non vereor S. I 3_{120}; subimus Impositum saxis late candentibus Anxur S. I 5_{25}; asellus Dum gravius dorso subiit onus S. I 9_{21}; Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti Ep. I 7_{33}; hic onus horret . . Hic subit et perfert Ep. I 17_4.

15) subrepo: urbis aventes Moenia nocturni subrepere S. II 6_{100}.

16) supervenio: heres Heredem alterius velut unda supervenit undam Ep. II 2_{176}; absolute dictum est Ep. I 4_{14}: Grata superveniet quae non spectabitur hora.

---

1) circumvector: non ego circum Me Satureiano vectari rura caballo . . . narro S. I 6_{59-60}.

2) circumvenio: a. p. 169: Multa senem circumveniunt incommuda.

3) circumvolo: quam Jocus circumvolat et Cupido O. I 2_{34}; me . . seu Mors atris circumvolat alis S. II 1_{58}.

4) circumvolito: Quae circumvolitas agilis thyma? Ep. I 3_{21}.

5) perambulo: Tutns ḅos etenim rura parambulat O.

IV 5_{17}; Perambulabis astra sidus aureum ep. 17_{41}; Recte necne crocum floresque perambulet Attae Fabula Ep. II 1_{79}.

6) percurro: animoque rotundum Percurrisse polum O. I 28_{6}; ne sic, ut qui jocularia, ridens percurram S. I 1_{24}; Quam non adstricto percurrat pulpita socco Ep. II 1_{174}. Semel praeterea legitur tralato sensu: solus, multisne, cohaeres, Veloci percurre oculo S. II 5_{55} (,überfliege.')

7) pererro: Fallacem circum vespertinumque pererro Saepe forum S. I 6_{113}.

8) praetereo: decrescentia ripas flumina praetereunt O. IV 7_{4}; doctos ego quos et amicos Prudens praetereo S. I 10_{88}; ubi vasa Praetereo sapiens argentea S. II 7_{78}. Celsi praetereunt austera poemata Ramnes a. p. 342; Bis praeterea exstat part. perf. pass: S. I 1_{116} et 9_{36}.

9) transeo: servos Differtum transire forum populumque iubebat Ep. I 6_{59}; hic et mare transit a. p. 345.

10) transno: ter uncti Transnanto Tiberim S. II 1_{8}.

11) transilio: si tamen impiae Non tangenda rates transiliunt vada O. I 3_{24}; ne quis modici transiliat munera Liberi O. I 18_{7}.

12) transvolo: importunus . . . transvolat aridas Quercus O. IV 13_{9}; Transvolat in medio posita S. I 2_{108}.

B. Verba quae ad membrorum quorundam corporis humani actiones pertinent.

1) deludo: scriba . . corvum deludet hiantem S. II 5_{56}.

2) derideo: quod quis deridet Ep. II 1_{263}.

3) eludo: Arguta meretrice potes Davoque Chremeta Eludente senem comes garrire libellos S. I 10_{41} (cf. illudo.)

4) edormio: cum Ilionam edormit S. II 3_{61}; (facete dictum pro „cum Ilionam dormientem in scenam agit.")

5) expallesco: Pindari fontes qui expalluit haustus Ep. I 3_{10}.

6) expavesco; quae . . . nec . . . muliebriter Expavit ensem O. I 37_{23}.

7) exsudo: cum Pedius causas exsudet S. I 10_{28}, quod poeta ludibundus scripsit pro ,sudans excogitat.'

---

1) adfor: Sic tristes affatus amicos O. I 7_{24}.

2) adprecor: Rite deos prius adprecati O. IV 15_{28}.

3) commingo: Comminxit lectum potus S. I 3_{90}.

4) conspuo: Furius hibernas cana nive conspuet Alpes S. II 5_{41}.

5) illudo: Aut spem deponas aut artem illusus omittas S. II 5_{26}; Illusique pedes vitiosum ferre recusant Corpus S. II 7_{108}; de constr. c. dat. cf. § 14_{5}.

6) implоro: donec minor in certamine longo Imploravit opes hominis Ep. I 10_{36}; Caelestes implorat aquas docta prece blandus Ep. II 1_{135}.

7) impugno: Nostra sed impugnat Ep. II 1_{89}.

8) increpo: Phoebus volentem proelia me loqui . . . increpuit O. IV 15_2; Sabella pectus increpare carmina ep. 17_{28}.

9) inflo: Quid causae est, merito quin illis (,gegen sie') Jupiter ambas Iratus baccas inflet S. I 1_{21}; Nam simul ac venas inflavit taetra libido S. I 2_{33}; Cum magis atque Se magis inflaret S. II 3_{319}; Crescentem tumidis infla sermonibus utrem S. II 5_{98}; Quem tulit ad scaenam . . Gloria . . ., sedulus (spectator) inflat Ep. II 1_{178}.

10) intueor: Quid ut noverca me intueris? ep. 5_9.

11) inquiro: inquirant vitia ut tua rursus et illi S. I 3_{28}.

12) interploro: Demetri, teque, Tigelli, Discipularum inter jubeo plorare cathedras S. I 10_{91} (per tmesin dictum.)

13) sufflo: se sufflans S. II 3_{317}.

---

1) circumgemo: Nec vespertinus circumgemit ursus ovile ep. 16_{51}; de lectione ,ovili' cf. Keller epileg. pg. 404.

2) circummugio: Te greges centum Siculaeque circum Mugiunt vaccae O. II 16_{33-34}.

3) circumtono: Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis S. II 3_{223}.

4) circumspecto: quanto cum fastu, quanto molimine circum Spectemus vacuam . . . aedem Ep. II 2_{93-94}.

5) perhorresco: Navita Bosporum Poenus perhorrescit O. II 13_{15}.

6) permingo: Hunc perminxerunt calones S. I 2_{44}.

7) permolo: non alienas Permolere uxores S. I 2_{35}.

8) persono: Est mihi purgatam crebro qui personet aurem Ep. I 1_7.

Itaque, ut ea praedicem, quae quid insigne habeant, H. accusativum usurpat, quacunque cum praepositione verba composita sunt: una excipienda est praepositio ,ob', quacum quae coaluerunt verba, dativum adsciscunt:

erepo, subrepo } aliquid, sed ,obrepo' alicui rei

commingo, permingo } aliquid, sed ,oppedo' alicui.

Verba cum praep. ,post' compp. quae huc pertineant, apud H. non exstant.

§ 17.

Restat ut afferam ea verba, quorum ipsa simplicia vi transitiva praedita sunt, sed quae quia cum praepositionibus componuntur, vi principali retenta alteram accipiunt ideoque duplicem accusativum assumunt.

Quorum haec collegi:

1) induo: Quodlibet indutus celeberrima per loca vadet Ep. I 17_{28}.

2) intercino: neu quid medios intercinat actus a. p. 194.

3) interfundo: Interfusa nitentes Vites aequora Cycladas O. I 14_{19}, ubi Nauckius sine causa ‚Inter fusa' a poeta scriptum esse existimat.

4) circumdo: Tyrius dare circum inluta toralia vestes S. II 4_{84}.

5) praeterago: deversoria nota Praeteragendus equus Ep. I 14_{11}.

At dativus sociativus legitur post v. circumpono: piper album cum sale nigro Incretum puris circumposuisse catillis S. II 4_{75}.

IV.

Appendix.

§ 18.

Permulta verba et transitiva et intransitiva, ubi cum praepositione aliqua coaluerunt, principalem vim ita magis minusve immutant, ut aut absolute a scriptoribus usurpentur, aut si adjungitur, quo id quod verbum significat efficiatur, ablativus postponatur:

ut volvo — involvo me claudo — includo me do — abdo aliquid	absolute dicta.
involvo me aliqua re includo me aliqua re abdo aliquid aliqua re	adjuncto abl. instr.

Sed apparet omnibus illis verbis, prout sociativa sunt natura, etiam dativum jure adjungi posse; quare cum persaepe una alterave constructio ab scriptoribus adhibita sit, propter pares interdum ablativi et dativi clausulas in dubium

cadit, utram singulis locis intellegamus structuram; neque ea quidem, quae affert Kritzius ad Sall. Cat. II_9 „ablativum tum tantum cum dativo permutari posse, cum verbum ejusmodi sit, ut et cum objecto tertii casus conjungi et absolute poni possit, ea re per ablativum adjuncta, qua id quod verbum significet, efficiatur" certe quamvis recte sint dicta neque ideo repudiari possint, caligini dispellendae paria sunt; namque id satis tritum est singulos scriptores verbi cujusdam vim ac notionem alium aliter intellexisse, ut quod hic per se satis definitum ac determinatum putaret, ille adjecto attributo accuratius circumscribendum censeret: itaque, ut quod ipse Kritzius affert exemplum contemplemur (intentus alicui rei — intentus — intentus aliqua re) certe non ab unius cujusque scriptoris arbitrio sejunctum erat, utrum rem, in quam sive cui quis intentus esset, addendam putaret omittendamne; sequitur ut quaestio dijudicari non possit, nisi eae voculae extant, in quibus casus tertius et sextus non similiter cadant; contra ubi eae usurpatae sunt quae utroque in casu in easdem litteras exeunt, nisi aliae rationes ad rem dijudicandam momenta quaedam afferunt, in dubio relinquendae sunt. At vitio verto Dittelio, quod omnia ita tractavit, ac si semper cum dativo construerentur: eodem jure item qui de ablativi usu Horatiano scripturus est, exempla illa, ubi D. dativum statuit, pro ablativis lucretur.[1])

Jam in § 14 allata sunt, cum jure etiam de dativo cogitari possit, verba: adsuesco, confundo, consentio, continuo, insenesco, insudo, intendo, intermisceo, quibus hic addo cum ablativo constructa:

1) abdo a. *part.:* Nullus argento color est avaris Abdito terris O. II 2_2; Vejanus armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro. Ep. I 1_5. b: v. *fin.:* Utque lupi barbam variae cum dente colubrae Abdiderint furtim terris S. I 8_{48}, quo loco Kruegerus me improbante dativum intellegit secutus Verg. Aen. II^{553}: lateri capulo tenus abdidit ensem. — De forma O. III 4_{38} ‚militia simul Fessas cohortes abdidit oppidis' v. § 14 s. v. addo.

2) abscondo: Postquam te talos . . . nucesque vidi . . cavis abscondere tristem S. II 3_{173}.

3) demergo: O. III 16_{13}: domus ob lucrum Demersa exitio.

4) adbibo: Nunc adbibe puro Pectore verba puer Ep. I 2_{67}.

---

[1]) Quanto suo arbitratu Dittelius rem tractaverit, apparet inde, quod verbis ‚immorior, insenesco' dativum vindicat, sed verbo ‚inemori' certe eodem modo intellegendo non item.

5) combibo: ut atrum Corpore combiberet venenum O. I 37_{28}.

6) commisceo: Chio nota si commixta Falerni est S. I 10_{24}, ubi ‚Chio' abl. esse recte Neussius l. c. ostendit.

7) concludo: conclusas hircinis follibus auras S. I 4_{19}.

8) condo: si proprio condidit horreo Quidquid de Lybicis verritur areis O. I 1_9; Graeca quod ego ipse testa Conditum levi O. I 20_3; quae ... Notis condita fastis Inclusit volucris dies O. IV 13_{16}; Aut pressa puris mella condit amphoris ep. 2_{15}; At cave huc referas O. IV 5_{29}: Condit quisque diem collibus in suis.

9) impello: ut forte legentem Aut tacitum impellat quovis sermone S. I3_{65} = „in irgend ein Gespräch verwickele."

10) includo: O. III 24_{37}: fervidis Pars inclusa coloribus Mundi; O. IV 6_{13}: Ille non inclusus equo Minervae; O. IV 13_{16}: quae Notis condita fastis Inclusit volucris dies; Ep. I 1_3: quaeris iterum antiquo me includere ludo a. p. 76: Versibus impariter junctis querimonia primum, Post etiam inclusa est voti sententia compos.

11) innitor: Hac arte Pollux et vagus Hercules Innisus O. III 3_{10}; sed melius alii scribunt ‚enisus'; cf. Btl. adn.

12) involvo: mea Virtute me involvo O. III 29_{55}.

13) obligo: Sed tu simul obligasti Perfidum votis caput O. II 8_5.

14) obruo: Ingrato celeris obruit otio Ventos O. I 15_3 (Nauck: „die ruhe, in welche Nereus die winde versenkte"); Me .. quoque .. rapidus comes Orionis Illyricis notus obruit undis O. I 28_{22}.

15) obstringo: Praeterea ne vos titillet gloria, iure Jurando obstringam ambo S. II 3_{180}.

16) obvolvo: verbisque decoris obvolvas vitium? S II 7_{42}.

17) occulto: Quam si quidquid arat impiger Apulus, Occultare meis dicerer horreis O. III 16_{27}.

18) permisceo: Qui species ... tumultu Permixtas capiet S. II 3_{209}; lituo tubae Permixtus sonitus O. I 1_{24}; — formae verbi ‚remiscere' enumeratae sunt § 14 s. v. immiscere.

Videmus igitur ex hac enumeratione H. etiam verbis abdendi significatione praeditis similibusque usum — nam ea primas huius classis partes, ut ita dicam, agunt — loquendi licentiam ad certam quandam regulam ita direxisse, ut non jam promiscue praepositionibus aut nudis casibus adhibitis semper ablativum usurparet (cf. Draeg. I² pg. 550.)

§ 19.

Finem enumerationibus meis eum facio, ut addam verba, quae quamquam per se etiam in modum verborum ‚circumdo,

dono, induo etc.' regimen ,aliquid alicui' admittere poterant, ab H. inversa constructione (aliquem aliqua re) usurpata sunt. Quo refero etiam verba ,aduro' perunguo etc.', simili credam constructionis rationi subjecta (ignibus aliquem adurere: alicui ignes adurere.)

1) adspergo: E quibus unus amet quavis adspergere cunctos S. I 4_{87}.

2) adstringo: Artius atque hedera procera adstringitur ilex ep. 15_5.

3) aduro: Non erubescendis adurit Ignibus (te.) O. I 27_{10}; ossa .. Flammis aduri Colchicis ep. 5_{24}; ne panis adustus ... opponatur S. II 8_{69}; pectore adusto S. II 8_{90}.

4) collino: tamen heu serus adulteros Crinis pulvere collines O. I 15_{20}.

5) illigo: Vix illigatum te triformi Pegasus expediet chimaera O. I 27_{23}; bis regimen ,alicui aliquid illig.' invenitur cf. D. l. c. pg. 26.

6) imbuo: oscula quae Venus Quinta parte sui nectaris imbuit O. I 13_{16}; tabo munus imbutum ep. 5_{65}; Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu Ep. I 2_{69}; Litterulis Graecis imbutus Ep. II 2_7.

7) immolo: a. *alicui aliqua re:* Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis, Seu poscit agna sive malit haedo (per syllepsin) O. I 4_{11}.

b. *aliqd alicui:* Libidinosus immolabitur caper Et agna tempestatibus ep. 10_{23}; immolet aequis Hic porcum Laribus S. II 3_{165}.

8) impedio: viridi caput nitidum impedire myrto O. I 4_9; Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus S. I 6_{27}; neu se (sententia) Impediat verbis lassas onerantibus aures S. I 10_{10}.

9) impleo: Impune ut urbem nomine impleris meo ep. 17_{59}; meum qui pectus .. falsis terroribus implet Ep. II 2_{212}; absolute dictum est his locis: ac si Magnas Graecorum malis implere catervas S. I 10_{35} Lubrica nascentes implent conchylia lunae S. II 4_{30}; me quater undenos sciat implevisse Decembres Ep. I 20_{27}.

10) implico: brevibus implicata viperis Crinis ep. 5_{15}; eripere atris litibus implicitum a. p. 424.

11) incīdo: Non incisa notis marmora publicis O. IV 8_{13}; cf. exempla quae D. pg. 25 e Vergilio affert.

12) inficio: iuventus ... Infecit aequor sanguine Punico O. III 6_{34}; nam gelidos inficiet tibi Rubro sanguine rivos Lascivi suboles gregis O. III 13_6; albus ora pallor inficit ep. 7_{15}.

13) infundo: majus infundam tibi Fastidienti poculum ep. 5_{77}: insolenter D. hunc locum quibus dativus sociativus

exstat inserit; Sed ,tibi' hoc loco non dativi soc., sed. dat. comm. vice fungitur (= pro te), et ,poculum infundere' idem fere valet ac ,poculum implere': quod D. etiam ex sequente loco intellegere potuit: Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit, Ep. I 2_{54} (cf. vernaculum „jemandem ein glas eingiessen = vollschenken").

(Eodem modo ab H. construitur infringo: Limina dura quibus lumbos et infregi latus ep. 11_{22}.)[1])

14) inspergo: velut si Egregio inspersos reprendas corpore naevos S. I 6_{67}.

15) obduco: obducta . . fronte ep. 13_5 (praegnanter dictum.)

16) oblino: quem (socerum) versibus Oblinat atris Ep. I 19_{30}; Divitiae peregrinae, quibus oblitus actor Cum stetit in scena Ep. II 1_{204}.

17) obsero: nec variis obsita frondibus Sub divum rapiam O. I 18_{12}.

18) religo: cf. § 9; Est hederae vis Multa qua crinis religata fulges: O. IV 11_5; incomptam Lacaenae more comam religatam nodo (sic nos cum Btl. probante Kellero [eplg. pg. 152]) O. II 11_{24}.

19) succingo: Vidi egomet nigra succinctam vadere palla Canidiam S. I 8_{23}.

20) subsuo (cf. Barta l. c. pg. 25) S. I 2_{29}: Quarum subsuta talos tegat instita veste (,d. i. vestis cui subsuta est instita, in ähnlicher construction, wie toga praetexta' Krüger.)

21) circumdo: Si . . . petes vallo circumdata S. I 2_{96}.

22) circumlino: musco circumlita saxa Ep. I 10_7.

23) circumrodo: qui dente Theonio . . . circumroditur Ep. I 18_{82}.

24) perfundo: Perfusus liquidis . . . odoribus O. I 5_2; Achaemenia Perfundi nardo juvat ep. 13_9; postquam est Italo perfusus aceto S. I 7_{32}.

25) permulceo: his verbis vacuas permulceat aures Ep. I 16_{26}.

26) persono: Utcunque dulci, Tyndari, fistula Valles et Usticae cubantis Levia personuere saxa O. I 17_{12}; simul domus alta Molossis Personuit canibus S. II 7_{115}.

27) perstringo: Jam nunc minaci murmure cornuum Perstringis aures O. II 1_{18}.

28) pertergeo: puer . . acernam Gausape purpureo mensam pertersit S. II 8_{11}.

---

[1]) plane inepte D. etiam verbis, quibus dativus adjungitur compp., inserit ,obturo': „obturem patulas impune legentibus aures", Ep. II 2_{105}, ubi ,legentibus' dativus (in)commodi est!

29) perunguo: Senem .. Nardo perunctum ep. 5_{59}; Medea .. Perunxit hoc Jasonem (acc. adverb. an abl.?) ep. 4_{12}; peruncti faecibus ora a. p. 277.

30) peruro: perusta solibus Pernicis uxor Apuli ep. 2_{41}; Hibericis peruste funibus latus ep. 4_{3}.

31) defrico: quod sale multo Urbem defricuit S. I 10_{4}; cf. Cat.: ‚dentem Hybera urina'.

32) delibuo: Hoc (veneno) .. delibutis ulta donis paelicem Serpente fugit alite ep. 3_{18}; ardeo quantum neque atro delibutus Hercules Nessi cruore ep. 17_{31}.

33) detero: Laudes .. tuas Culpa deterere ingeni O I 6_{11}; cf. § 2_{88}.

34) describo: malo quae (lex) nollet carmine quemquam Describi Ep. II 1_{154}.

Huc etiam colligendae sunt hae formae:

35) exstruo: sacrum vetustis exstruat lignis focum = ligna in foco exstruat ep. 2_{43}.

36) intumesco: Neque intumescit alta viperis humus ep. 16_{52} (= viperae intumescunt in humo sive humi altae) cf. Nauck. adn.

§ 20.

Appendici addo appendicem:

Si verum est — ac quis quin sit dubitabit? — in poeta tam difficili quam Horatio nihil esse supervacaneum, quod ad carmina ejus melius intellegenda aliquid conferre posse videatur, nunc quoniam in proponenda certa ac solida, quantum fieri potuit, Horatianae dictionis effigie operam consumpsi, inquirendum videtur, quidnam ad carmina ejus recte cognoscenda contulerim: quare sex affero locos (cf. etiam § 6 fin), quos adhuc aut ab omnibus aut a nonnullis interpretibus perverse intellectos nostra quam prima in parte vidimus lege haud jam ambigue dijudicatos censeam.

I. O. I 9_{23}: Pignusque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

Forma ablativi in ‚i' excidentis Dittelius — et nescio an etiam alii — videtur permotus esse, ut dativos hoc loco intellegeret; sed esse sextos casus ex regula nostra facile colligitur; de ipsa ablativi forma cf. Kühn. I pg. 214 sqq., impr. pg. 219 d.

II. O. III 24_{64} exstat: ‚Curtae nescio quid semper abest rei'; quo loco alii ‚curtae rei' dativum a verbo ‚abest' dependentem [1]), alii genetivum cum pronomine ‚quid' conjungendum

[1]) quod jam Cruquius voluit, cujus defensor recentissimus exstitit Schützius.

esse adhuc existimabant. Sed ‚curtae rei‘ a vocibus ‚nescio quid‘ non esse sejungendum cum simili locutione alius cujusdam H. loci probari videtur (O. I 9_2 nescio quid nugarum) tum nostra lex certissima est testis. Itaque si poeta, curtae rei‘ dativum esse voluisset, certe eum non ‚abest‘ sed ‚deest‘ scripturum fuisse persuasum habeo.

III. S. I 2_{14}: omnibus in codicibus lectio haec tradita est: ‚Quinas hic capiti mercedes exsecat‘. Ad quem locum Kruegerus adnotat: „er schneidet oder zieht sie (60 %) aus seinem capital, welches er zu einem ganz unerhörten zinsfuss unterbringt; unser ‚herausschlagen'“. Haud aliter Dittelius — ac credo omnes fere adhuc interpretes — locum intellegit, quod inde efficio, quod verbum ‚exsecare‘ in numero eorum, quae dativus pro ablativo usurpatus sequatur, affert. Sed apparet ex nostra lege Horatium dativo ‚capiti‘ non indicare voluisse, u n d e ipsae mercedes exsecarentur, sed potius a d q u i d vel p r o q u a r e fenerator usuras percepisset (dat. com.); interpretandum igitur caput ipsum iniquo illo fenore auctitari usurasque quodammodo perscribi.

IV. S. I 4_{25}: tres leguntur in codd. lectiones: ‚quem vis media $\left\{\begin{array}{l}\text{elige}\\ \text{erue}\\ \text{eripe}\end{array}\right\}$ turba‘; quarum prima plerisque in codicibus iisque optimis, ut Par γ, Ambr. a. Argent. C, ‚erue‘ in codicibus $\varphi + \psi$, λ', u + v (cf. Kell. epileg.)[1]), Vatic., Voss. exstat; tertiam lectionem ‚eripe‘ non exhibent nisi tres apud Cruquium Bland. cdd. vetustissimi.

At ‚elige‘ etiamsi optimis in codicibus traditum est, tamen rejiciendum esse facile liquet: neque enim ut genuina fuerit omnino intellegitur, quomodo ex ea corruptelae ‚erue et ‚eripe‘ manare potuerint. Omnes enim ejusmodi variae lectiones ita certe factae sunt, ut pro scholio margini adsuto a librariis, qui non jam scholion, sed alteram quandam lectionem, adscriptam sive ex eodem quo cetera omnia sive ex aliis libris, putarent, in ipsum verborum textum reciperent. Quod si ita est, plane inepte putares genuinam ‚elige‘ utpote facillimam trium illarum lectionum eum in modum postea corruptam esse; idem profecto esset, ac si O. II 13_{23} — ut unum afferam exemplum — genuinam ‚discretas‘ scholiastam aliquem per glossam ‚discriptas‘ interpretatum esse arbitrareris. De altera causa, cur lectio ‚elige‘ falsa sit, v. Heindorfii (Hor. sat. ed. H.,[2] ed. Wüstemann, Lips. 1843) adn. huic loco subscript.

---

[1]) $\varphi + \psi$ = codd. Par.; λ' = Par. λ + Leid. l.; u + v = codd. Par.

Non minus improbanda est lectio ,eripe', sed non ideo quod, ut vult Passowius (Hor. 4^a sat. lat. und deutsch mit rechtfertg. Berl. 828) „es vom Dichter stets, ebenso wie arripere im begriff der ungestümen, oft besinnungslosen eile oder gewalt gebr. wird," quod exemplis a me s. v. eripio collectis satis refutatur, ac ne propterea quidem, quod eripere — quod Kirchnerus affert — „ein rettendes herausziehen bedeute" — id enim negatur S. I 4_{57} „His eripias si Tempora certa modosque — sed quia supra vidimus eripere aut cum dativo aut cum praepos. ab. H. construi.

Restat igitur, ut genuinam putemus lectionem ,erue',[1]) quae per se praeterea eam probabilitatem habet, quod perfacile in ,eripe' corrumpi potuit, sed non scholio margini adscripto, sed quod pro ,u' paullulum producta priore litterae lineola (erpe) a librario minus accurate intuente ,eripe' facile legi potuit; quod mihi magis probatur quam quod Kellerus affert, qui demonstrat ,erue' ex ,elige' eum in modum exstitisse.

V. S. I 7_{29}: ,Expressa arbusto regerit convicia':

,arbusto', ex participio ,expressa' pendens, non dativus, quem Krueg. intellegit, sed ablativus est.

VI. S. II 3_{202}: ,Abstinuit vim Uxore et gnato':

de ambiguitate, utrum traditam lectionem ,uxore' genuinam an in ,uxori' permutandam existimemus, cf. hj. comment. § 5.

---

[1]) locos, quibus fere eadem verbi significatio exstat, attulit Gesnerus in thesauro l. l. suo s. v. eruo.

VITA.

Ludovicus Alexius Ferdinandus Teetz natus sum die XVII. m. Julii a. 1860 Primislaviae in urbe Ukaramarchiensi patre Friderico, matre Guilelma e gente Marsal, quos adhuc superstites esse quam maxime gaudeo; fidei addictus sum evangelicae. Novem annos natus, postquam prima litterarum elementa in ludo communi didici, in patrium gymnasium receptus sum, quod usque ad anni 1879 tempus autumale frequentavi: inde in gymnasium Neobrandenburgense traductus anno h. s. 80 maturitatis testimonio instructus sum.

Per duo semestria — interrupta tribus, quibus universitatis litt. Rostochiensis scholis intereram — in universitate Friderica Guilelma Berolinensi studiis incubii et philologicis et theodiscis; deinde ut studia absolverem, Halas Saxonum me contuli.

Usus sum praeceptoribus hisce VV. DD.: Bechstein, Fritsche, Kaibel, Körte, H. de Stein in universitate Rostochiensi; Furtwängler, Hübner, Ad. Kirchoff, Müllenhof, Rödiger, Scherer, Seeck, Joh. Schmidt, Vahlen, Wattenbach, Berolini; Burdach. Dittenberger, Gering, Gosche, Hiller, Keil, Zacher Halis; seminarii philologici exercitationibus ut interessem per unum semestre Kaibel et Fritsche, per tria Dittenberger, Hiller, Keil permiserunt mihi benignissime; praeterea societatibus, quas instituere solent, me admiserunt: Burdach, Gering, Gosche, Haym, Keil, Vaihinger, Zacher.

Quibus omnibus VV. DD. ex intimo animo gratias hic ago quam maxumas: imprimis JLL. VV. Dittenberger, Hiller, Keil, Zacher, qui prae ceteris studiorum meorum erant adjutores ac modeatores, pio animo colere nunquam desinam.

Menda typographica.

pg. 5 v. 27 l. linguae.
„ 7 ann. 2 l. adjunctarum . . . verborum.
„ 12 v. 26 l. Caes.
„ 16 „ 14 l. quaecunque obstant.
„ 19 ann. 1 l. genetivus.
„ 24 v. 10 l. vindicandae.
„ 25 „ 17 l. cupiunt.
„ 29 „ 11 l. quae.
„ 31 „ 22 l. prohibeo.
„ 31 „ 24 l. Concubitu.
„ 31 „ 26 l. Eodem.
„ 31 ann. l. nullius.
„ 32 v. 15 l. contendo.
„ 32 „ 36 l. qua.
„ 33 ann. l. suspendo.
„ 34 v. 29 l. praesertim.
„ 34 „ 33 l. re liberius.
„ 35 ann. l. *εἰρημένον* . . . apud.
„ 35 v. 18 l. genet.
„ 39 „ 14 l. prae.
„ 40 ann. l. adjectivum (subl. sign. aduncis.)
„ 49 v. ult. l. attribuitur.
„ 51 „ 10 l. depropero: Quis.
„ 52 „ 20 l. tecto.
„ 52 „ ult. l. Tutus . . perambulat.
„ 63 „ 12 l. incubui.
„ 63 „ ult. l. moderatores.
alia pauca per se facile emendantur.

QUÆRITUR QUO JURE HORATIUS IN SATURIS MENIPPUM IMITATUS ESSE DICATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS ROWE
STETINENSIS.

HALAE SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).
MDCCCLXXXVIII.

Romanos, quamquam notum est, cum essent penitus intenti rebus, quae ad rem publicam pertinent, in litteris nihil fere valuisse, tamen unum litterarum genus et invenisse et excoluisse Quintilianus[1]) testatur X 1, 93 his verbis ‚satura quidem tota nostra est'. Et profecto hoc litterarum genus Graeci, qui in ceteris exempla Romanis ediderunt, non exercuerunt. Sive enim eorum iambos, sive comoediam Atticam antiquam, sive sillos comparaveris, nullum Graecarum litterarum genus invenies, quod Romanae saturae plane respondeat.[2]) Sed Romani, etiamsi in invenienda satura exempla Graecorum non secuti sunt, tamen in excolenda a Graecis pependerunt. Atque ipsum Lucilium, inventorem[3]) eius generis, totum cum illis cohaesisse Horatius tradit.[4]) Quod utrum vere an falso, ut existimat Lucianus Muellerus,[5]) judicaverit, in medio relinquimus. Horatium autem, Augusteae aetatis studia secutum, ducibus Graecis non solum in carminibus et epodis, sed etiam in saturis componendis usum esse, ipsius testimonio sat. II 3, 11, 12 ‚Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro, Eupolim Archilochum comites educere tantos?' constat. Menippus, quamquam in his Graecis exemplis non enumeratur, facile

[1]) Horati verba sat. I 10, 66 ‚rude et Graecis intactum carmen' hic non affero, quia antiqua illa carmina versibus saturniis composita eis significari puto, omnium paene virorum doctorum sententiam amplexus. Cfr. Crainium (philol. IX p. 575 sqq.) Ribbeckium (ann. philol. 1858 p. 213) Riesium (Varr. sat. Menipp. p. 5) Herm. Fritzschi adn. a. h. l.

[2]) cfr. Rothium ‚Zur Theorie u. inneren Gesch. d. röm. Sat.' p. 4 sqq., Mettium progr. gymn. Brilon. a. 1868 p. 28 sqq.

[3]) Horat. sat. I 10, 48. [4]) sat. I 4, 6. [5]) ed. Lucil. sat. reliq. p. 291.

tamen cuipiam pro exemplo Horatio fuisse videatur, quippe qui Varroni dignus visus sit, ad quem in saturis se applicaret. Quod cum a Theodoro[1]) et Hermanno[2]) Fritzschiis, Martino Hertzio[3]) affirmatum, ab A. Heinrichio[4]) negatum, ac ne ab iis quidem, qui Theodori et Hermanni Fritzschiorum libros recensuerunt,[5]) diiudicatum esse videam, non ineptum puto retractare. Atque in tres partes hanc disputationem dispertire placet, ita ut primum de Menippo eiusque scriptis verba faciam, deinde in universum disputans, quae ratio inter Menippum et Horatium intercedat, explicem, tum singulas similitudines examinem, quae exstant inter Horatium et Varronem Lucianumque, qui cum Menippum imitati sint, postquam ipsius Menippi libri omnes perierunt, paene soli paulo plura de eo docent.

Primum igitur de Menippo[6]) videamus. Qui vixit, ut nunc inter omnes fere doctos constat,[7]) in priore saeculi a. Ch.

---

[1]) libello, qui inscr. „Menipp und Horaz". Gustrov. 1871 et in philologi t. XXXII (a. 1873) p. 744 sqq.

[2]) in praefat. ed. sat. Horat. I p. 23 sqq. p. 28 sqq.

[3]) in analect. ad carm. Horat. hist. p. 7 in ind. lect. Univ. Vrat. 1879.

[4]) progr. gymnas. Graciens. a. 1885, quod inscr. „Lukian u. Horaz".

[5]) W(achsmuthius) nunt. phil. IV p. 196 sqq.; Kellerus „Götting. gel. Anz." 1876 p. 554—567, Petschenigius „Ztschr. f. Österr. Gym." 1877 p. 106—121, R. „Lit. Centralbl." No. 32 p. 1041 an. 1875, No. 50 sp. 1661 an. 1876. G. Beckerus „Jen. Liter." No. 48 p. 856 an. 1875. Widmannus „Lit. Rundsch." No. 14 p. 471—74 an. 1876.

[6]) Egerunt uberius de eo: Leyius ‚de vita scriptisque Menippi cynici' 1843. Oehlerus ‚M. Ter. Varr. satirr. Menipp. rell.' p. 21 sqq. 1844. Curt. Wachsmuthius ‚de Tim. Phlias. ceter. sillogr. Graec.' 1859; ed. alt. 1885 in fasc. alt. corpusc. poes. epic. Gr. lud. p. 78 sqq. Riesius Varr. satirr. Menipp. rell. proleg. p. 8. 1865. F. V. Fritzschius ‚de script. satirr. spec. III. IV. V. (ind. lect. Rostoch. 1865 et 1866) et prolegg. ad Luc. p. XXXVII t. II[2]. Theod. Fritzschius ‚Menipp u. Horaz' p. 7 sqq. Wasmannsdorffius ‚Luciani script. ea, quae ad Menip. spectant, inter se comp. et diiudic.' diss. Jen. 1874 p. 6 sqq. Eug. Wildenowius ‚de Men. cyn.' diss. Hal. 1881.

[7]) argumenta huius sententiae optime Nietzschius progr. paedagog. Basil. a. 1870 ‚Btrge. z. Quellenk. u. Kritik d. D. L.' et Zellerus hist. phil. Gr. II 1[3] p. 246 sq. exposuerunt, quae sententia ad liquidum perducta est, postquam illud, in quo offendebatur, vera interpretatione verborum Diog. Laert. VI 99 ‚τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ ... καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου' a Maasio ‚de biograph. Graec.' p. 18 sublatum est.

tertii parte. Natus est Gadaris, in urbe Palaestinae, Strabone[1]) et Stephano Byzantio[2]) auctoribus. Ab Achaico[3]) *Φοῖνιξ* appellatur, cum pro partis terrae nomine nomen totius terrae ponatur; a Diogene Laertio[4]) Sinopensis, procul dubio, quia Sinopae cum domino suo Batone Pontico — ita dominum eius Diocles[5]) nominat — commorabatur. Servum enim eum fuisse testimoniis Achaici,[6]) Dioclis,[7]) Gellii,[8]) Macrobii[9]) constat. Libertatem adeptus — Diogenes dicit[10]) *ἀτηρότερον αἰτῶν ὑπὸ φιλαργυρίας ἴσχυσε Θηβαῖος γενέσθαι* — diu in Graecia vixit. Ubi cum *ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν καὶ ἐξενεχυριάζειν* soleret, *ἡμεροδανειστὴν* eum factum et vocatum esse et maximas opes coegisse Hermippus[11]) refert. Versabatur autem ille Corinthi,[12]) Athenis,[13]) Thebis,[14]) ubi, cum pecunia spoliatus esset, maerore oppressus vitam laqueo finivisse dicitur.[15]) Atque quin voluntariam mortem obierit, cum idem Lucianus[16]) referat, dubitari nequit; ob jacturam autem divitiarum mortem eum sibi conscivisse, Diogenes Laertius incertis auctoribus usus, cum eos sequeretur, qui a Menippo illusi atque castigati inimici ei essent, memoriae prodidisse videtur. Certe si Luciano, qui senem eum hominum cupiditates et studia irridentem facit,[17]) fidem habuerimus, illud fieri potuisse negabimus. Ita igitur statuemus, ut Menippum, licet adulescens opes cupidissime appeteret, senem eas omnesque res externas, quas homines petunt, despexisse dicamus.

Et non modo ipse ita de rebus humanis sensit, verum etiam ut ceteri idem judicarent, postulavit. Qui secus vellent, eos acerbissime castigavit.[18]) Praeter hos etiam eos, qui in philosophia — nimirum Cynicis ipse se addixerat testibus Diog.

---

[1]) XVI 759. [2]) p. 193 s. v. *Γάδαρα*. [3]) apud Diog. Laert. VI 99. [4]) VI 95. [5]) apud Diog. Laert. VI 99. [6]) [7]) apud Diog. Laert. VI 99. [8]) n. A. II 18, 6. [9]) sat. I 11, 42. [10]) VI 99. [11]) apud Diog. Laert. VI 99. [12]) [13]) v. Luc. mort. dial. I 1. [14]) v. Diog. Laert. VI 99, 100. [15]) Diog. Laert. VI 100. [16]) mort. dial. 10, 11; 21, 2. [17]) in mort. dial., Necyom., Jcarom.

[18]) hoc quamquàm ex eius librorum titulis et fragmentis, quae ad nos pervenerunt, elici nequit, tamen inde sequitur, quod apud Luc. (inpr. Necyom. 14) eas partes ille sustinet.

Laert.,[1]) Luciano,[2]) Athenaeo [3]) — et in religione alia sequerentur, eum sugillasse cum ex ea imagine, quam Lucianus [4]) expressit, tum ex ipsis librorum titulis, quos Diog. Laert., Athenaeus, alii servaverunt, dilucide apparet. Commemorat autem Diog. Laert.[5]) hos: *νέκυια, διαθῆκαι, ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προςώπου, πρὸς*[6]) *τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας*, alio loco [7]) *Διογένους πρασις*, quae num revera Menippo adscribenda sit, dubium [8]) est, Athenaeus *Ἀρκεσίλαος*,[9]) ex quo libro haec affert ,*πότος τις ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καὶ ματτύην ἐκέλευσεν εἰςφέρειν Λάκαινά τις. καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδίκεια ὀλίγα καὶ*

---

[1]) VI 99, 101. [2]) *δὶς κατηγ.* 33, *νεκυομ.* 1, *νεκρ. διαλ.* 1, 1: 2, 1; 21, 1; 22, 3. [3]) 1, 23; 14, 629; 14, 664. [4]) in Mort. dial., Necyom., Jcarom. [5]) VI 101. [6]) utrum, quae sequuntur verba, unum an plures librorum titulos efficiant, quia vanum et inutile puto, inquirere omitto. cfr. Wilden. 25 adn. 8. [7]) VI 2, 29.

[8]) Verba autem haec sunt: in Cobeti codicibus ,*φησὶ δὲ Μένιππος ἐν τῇ Διογένους πράσει*', in Sambuci et Ambrosii codicibus ,*φησὶ δὲ Ἕρμιππος* ....'. Qua in codicum differentia difficile est diiudicare, cum quae ratio inter duas illas codicum familias intercedat, nondum exploratum esse videatur: Certe Nietzschius l. l. p. 28 hanc, Wachsmuthius corp. poes. ep. Gr. ludib. II p. 82 adn. 7 illam meliorem esse contendit. A codicibus igitur nullum auxilium petendum est; ac ne interpretes quidem hunc locum expedivisse mihi videntur. Nam quod Menagius (observ. in Diog. L. VI 29; ed. G. Huebner. vol. II p. 20) Lozynskius (Hermippi fragm. p. 40) Huebnerus (ed. Diog. Laert. II p. 21) contra lectionem ,*Μένιππος*' obloquuntur (cfr. Theod. Fritzschium ,Hor. u. Menipp' p. 13), ,qui in D. L. verbis II 2,30 vocetur, *Εὔβουλος* (*Εὐβουλίδης* Menagius), eum prope accedere („stehe nahe") ad Hermippum, peripateticum Smyrnaeum, non ad Menippum, cynicum Gadarenum', licet verum sit, tamen non impedit, quominus etiam Menippum *Διογένους πρᾶσιν* scripsisse putemus; et quae Wildenow. (p. 27) contra lectionem ,*Μένιππος*' dicit, ,Diogenem Laertium neque in Menippi scriptis enumerandis (VI 101) auctionem illam commemorare neque unquam Menippi testimonio uti', haec ideo nullius momenti sunt, quia Diogenes Laertius et seriem librorum Menippeorum finit verbis ,*καὶ ἄλλα*' et semel eum Menippum testem adhibuisse sine dubio credi potest. Contra Riesius Varr. sat. Menipp. frg. p. 245 et Wachsmuthius l. l. II p. 82 Cobet. ed. lectionem ,*Μένιππος*' retinent. Itaque adhuc sub judice lis est. Nam ne Nitzschii quidem conjectura l. l. p. 28 probabilitatem habet. [9]) XIV 664 e.

χήνεια ὀπτὰ καὶ τρύφη πλακούντων‘, συμπόσιον,[1]) in quo Menippum κόσμου ἐκπυρώσεως ut saltationis cuiusdam mentionem fecisse adnotat, postremum non nominato libro, ex quo petivit, hoc fragmentum[2]) ‚ὁ γοῦν κυνικὸς Μένιππος ἁλμόποτιν τὴν Μύνδον φησίν‘. Praeterea Suidas et Photius Menippi Cynici[3]) mentionem faciunt. Atque ille[4]) haec dicit ‚Μένιππος Κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κέρκωπες (ὄφεις Eudocia addit[5]) καὶ ἄλλα‘, hic[6]) inter poetas ab Jo. Stobaeo excerptos Menippum nominat. Quod autem Meinekius[7]) drama Δίες inscriptum, quod opus ignoti alicuius poetae ab Aelio Dionysio commemoratum apud Eustathium ad Hom. p. 1384, 46 legitur, Menippo tribuit, coniectura haec est, certis argumentis carens.[8]) Hi tituli librorum Menippeorum ad nos pervenerunt, ex quibus, quamvis in nonnullis de argumento dissensio magna[9]) sit, in universum de seriis rebus Menippum egisse nemo negabit. Tamen Diog. Laert. affirmat[10]) ‚φέρει μὲν οὖν σπουδαῖον οὐδέν. τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει‘. Itaque Menippum ut de rebus gravibus plerumque ex philosophia sumptis, ita jocose scripsisse statuemus. Cui sententiae optime convenit, quod cognomen σπουδογελοίου a Strabone[11]) et a Stephano Byzant.[12]) ei datum est. Hactenus de argumento librorum Menippi.

De forma autem dicendi tradita sunt haec: conscripti erant eius libri prosa oratione versibus immixtis, quod primum docet forma saturarum Varronis, qui Menippeus[13]) vocatus est. Nam prosa et poetica oratione compositae[14]) fuerunt illae

---

[1]) XIV 629 e. [2]) I 32 e. [3]) de quo cur non cogitandum sit, abest causa. v. Wildenow. p. 33 et 35. [4]) s. v. Μένιππος. [5]) violarium p. 202. [6]) in bibl. 167 p. 115. [7]) Vind. Strab. p. 234 sq. [8]) cfr. impr. Ries. l. l. p. 10 adn. 1. [9]) quae conjectura colligi possint, v. Wildenow. 24 sqq. [10]) VI 99. [11]) XVI 2, 29 p. 759. [12]) v. Γάδαρα. [13]) testimonia collegit Roeperus (Varron. Vindic. philol. XVIII p. 419 A. 1). [14]) cfr. Quint. X 1, 95 ‚alterum illud etiam prius (amplius i. e. umfassender, mannigfaltiger aptissime Luc. Mueller. „Rhein. Mus.“ 1869 p. 140 mutavit) saturae genus, sed non sola carminum varietate (sc. verum etiam prosa oratione) mixtum condidit Terent. Varro, vir Romanorum eruditissimus‘ et Buecheler. ‚Bemerkungen zu d. Varr. Sat.‘ mus. Rhe. XIV 421 sqq.

saturae, quas Menippeas ille vocavit,[1]) ut ipse dicit,[2]) ‚Menippum imitatus, non interpretatus‘. Deinde Probus[3]) his verbis ‚is (sc. Menippus) quoque omnigeno carmine saturas suas expoliverat‘ id testatur, ubi ipsum saturae nomen translatione quadam ab imitatore Romano petita de Graeco litterarum genere usurpatur. Tum ex ipsius Menippi librorum fragmentis, quae ad nos pervenerunt, illud elucet.[4]) Postremo testis Lucianus, qui non solum oratione in illum modum mixta Menippum utentem facit,[5]) sed etiam verbis ‚τὸ γὰρ πάντων ἀτοπώτατον — δοκῶ[6]) illud indicat. Versus autem, quos libris inseruit, plerumque ex aliorum carminibus Menippum sumpsisse, ita ut eos in sillographorum modum parodiis deflecteret, etiam hoc ex ea ratione sequitur, qua Lucianus loquentem eum inducit. Ceterum dialogi forma ille usus esse videtur, si quidem ad illum referre licet, quod Varro et Lucianus eam usurpaverunt. Haec habui, quae de Menippo dissererem, quae sufficere puto ad eam quam nobis proposuimus quaestionem diiudicandam.

Jam venimus ad alteram partem, qua quid ex universa ratione, quae Horatio cum scriptoribus Graecis intercedit, ad necessitudinem illius cum Menippo statuendam redundet, explicare constituimus. Atque Theod. Fritzschius Horati studio et amori in scriptores Graecos multum tribuit[7]), quo eum necessario ad Menippum ductum esse putat. Causam autem, cur neque Menippum neque Varronem ille nominaverit, hanc Theodorus Fritzschius affert „er war sich bewusst, der menippeischen Sat. wesentliche Eigenschaften entlehnt zu haben, die seine Sat., in entschiedenem Kontrast zu der streng republikanischen des Lucilius, zu einer rein monarchischen stempelten.“ Accedere, quod Varro contra Caesarem, Augusti avunculum, pugnaverit. Atque vere se sentire et ex verbis

---

[1]) Gellius n. Att. II 18; Macrob. saturn. 1, 11. [2]) apud Cic. acad. post. I 8. [3]) in Vergilii ecl. VI v. 31, p. 14 Keil. [4]) Preller. annal. litt. Jen. 1847 p. 621, Riesius l. l. 11, Fritzschius de script. sat. spec. III 7., Th. Fritzsch. ‚Men. u. Hor.‘ p. 14., Wachsmuth. II p. 80, Wildenow. p. 29. [5]) in Jcarom., Necyo., al. [6]) Bis accus. 33. [7]) ‚Hor. u. Menipp‘ p. 21 sqq.

ipsius Horati ep. II 2, 60 ,Bioneis sermonibus et sale nigro' et ex initio vitae Horatianae Suetoni, quod cum narratione Bionis a Diog. Laert.[1]) tradita fere iisdem verbis repetitis congruat, elicit. Horatium enim, cum Lucili saturam (et suam quoque saturam) nominet ,Bioneos sermones et sal nigrum', Menippum tangere, qui ex eodem Bione hauserit, et quod ad locum illum vitae Horatianae cum Diogenis Laerti verbis convenientem attinet, non fuisse, cur Bion adhiberetur, nisi praeter similitudinem ignobilium parentum altera eaque gravior similitudo inter Bionem Horatiumque exstitisset, quod Bionem Menippus, Menippum Horatius secutus esset (de his somniis v. p. 25 eius comment. ,Men. u. H.')

Etiam Hermannus Fritzschius Horatium a Menippo pendere existimat, ad quem, cum Varronis legeret sat. Menippeas, paene necessitate quadam ductus fuerit.

Contra utrumque A. Heinrichius pugnat. Atque primum illud, quod Th. Fritzschius ex Horat. ep. II 2, 60 concludit, recte reicit. Deinde ne similitudinem quidem, quae inter Horatianae vitae initium et sermonem illum Bionis intercedat, cum illa verba apud Suetonium interpolata sint, quidquam valere demonstrat. Tum in summum illud, num Horatius Menippo usus sit, inquirit. Atque suo jure in ea re offendit, quod Horatium ea de causa, quia conscius sibi fuisset, multa se Menippo debere, mentionem eius non fecisse Th. Fritzschius dicit. Nam hanc causam nullam vim sibi habere, Horatium ipsum apertissime ostendisse, cum Alcaeum, Sappho, Archilochum, alios pro exemplo sibi fuisse profiteri non vereretur. Quod autem Horatium Menippo non usum esse ex hoc silentio sumit, ultra probabilitatis terminos A. Heinrichius egressus esse mihi videtur. Nam non omnes, quibus usus est, nominatim Horatium appellasse, cum olim constabat, tum, postquam Th. Arnoldi dissertationes ,d. griech. Stud. des Horaz' prodierunt, omnibus probatum est. Jam manet primarium illud Theod. Fritzschi argumentum, omnino Horatium et ipsum Graeca exempla amasse et aliis commendasse. Sed etiam hoc argumentum ab A. Heinrichio bene refutatum est,

[1]) IV 7, 1.

cum Menippi saturas nec ea forma scriptas esse nec eas res continuisse dicat, quibus Horatius allici posset. Nam cum prosa et poetica oratione compositae essent atque duras et agrestes res continerent, potius ab iis Horatium elegantiae formae et urbanitatis argumenti amantissimum deterreri necesse fuisse, praesertim cum Cynicis omnino non faveret. Haec in universum de Menippo et Horatio prolata sunt.

Menippum Horatio ignotum fuisse incredibile mihi videtur; sed inde non sequitur illum huic exemplo fuisse. Qua in quaestione disceptanda partim amori, quo Horatius Graecos scriptores amplectebatur, partim eius studio verborum limatorum atque rerum facetarum vis tributa est. Adversis frontibus haec argumenta inter se pugnant; utrum majus sit, quaeritur. Quam quaestionem cum in universum disputantes diudicare nos non posse arbitrer, jam, ut id quod nobis proposuimus perficiamus, confugiendum est ad singulas similitudines examinandas.

Ad tertiam igitur huius dissertationis partem nos convertamus. Ut similitudines inter Horatium et Lucianum, qui Menippum aemulatus est, enuclearent, Theodorus et Hermannus Fritzschii et A. Heinrichius, viri sagacissimi, operam dederunt, e quibus Herm. Fritzschius etiam similitudines inter Varronem, item Menippi imitatorem, et Horatium investigare studuit. Itaque satis gravem causam me habere puto, cur similitudines ab illis indagatas modo in examen vocem. Jam autem exsistit quaestio, quomodo eas similitudines, quae quidem sint paulo graviores, ortas esse judicandum sit. Atque Theodorus Fritzschius, Hermanno Fritzschio et Martino Hertzio assentientibus, inde eas ortas esse censet, quod Horatius et Lucianus ex Menippi libris tamquam communi fonte haurirent, id quod Hermannus Fritzschius etiam de similitudinibus, quae sint inter Varronem et Horatium, intellegi vult, contra A. Heinrichius inde, quod Lucianus hauriret ex Horati saturis. Theod. Fritzschius sententiam suam confirmat, cum ‚pro laps. in salut.‘ c. 13 ‚ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς αὐτοί, εἴ τι κἀγὼ τῆς Ῥωμαίων φωνῆς ἐπαΐω, τοὺς προςαγορεύοντας ἀντιδεξιούμενοι τῷ τῆς ὑγιείας ὀνόματι πολλάκις ἀμείβεσθε‘ afferat, ubi Lucianum ipsum se linguae

Latinae impotem esse profiteri contendit, revera autem contrarium legi quivis incorrupto judicio praeditus concedit. Atque ut Theodorus Fritzschius recte Luciani verba interpretatus sit, cur scriptor ille, ad quem utrumque rediisse dicit, Menippus esse debeat, nullo modo probat. Hoc non prius concedi poterit, quam demonstratum erit, illos locos Lucianeos, qui in comparationem cum Horatianis vocantur, ex Menippi libris fluxisse, quod pro certo explorari omnino non potest, cum Menippi scripta, paucis fragmentis exceptis, omnia perierint.

Cautius Hermannus Fritzschius, sententiam suam defendens, ita argumentatus est: illas similitudines ad eundem auctorem, quo uterque usus esset, referendas esse inde intellegi, quod Lucianus Horatium non novisset. Quod apparere primum ex tota illius vitae et eruditionis ratione, deinde ex ea re quod Graecam rhetoricam, quae semper Romanorum studia contempsisset, profitens victum quaesivisset, tum inde quod rhetores Graeci illi aequales Latine plane nescivissent, postremo inde quod nullus in Luciani scriptis reperiretur locus, qui notitiam aut linguae Latinae aut scriptoris ullius Romani saperet. Neque ullius dictionis Romanae mentionem fieri nisi eius, quae ipsa a Graecis sumpta esset. Nomina Romana, mores Romanos in Graeca transferri, ut illius ipsius nomen in *Λυκῖνος*, Saturnalia in *Κρόνια*. Historiae Romanae inscium Lucianum fuisse, cum multa tum dial. mort. XII testari. Quae si reputaremus, perspicuum esse, quo modo unus ille locus, quo de lingua Latina diceretur, pro laps. int. salut. c. 13 ‚*εἴ τι κἀγὼ τῆς Ῥωμαίων φωνῆς ἐπαΐω*‘ interpretandus esset. Nempe *εἰ* non formulam affirmationis accipiendum esse ‚so gewiss als ich auch lateinisch verstehe‘, sed in vilem et abiectam sententiam, ‚wenn ich überhaupt etwas von eurem Latein aufgeschnappt habe und allenfalls salve, bon jour, und vale, adieu, unterscheiden kann‘. A Menippo autem utrumque ea, quae communia sunt, mutuatum esse, ideo Hermannus Fritzschius opinatur, quia ut inter Lucianum, Menippi aemulatorem, et Horatium, ita similitudines intercedant inter Varronis saturas Menippeas, item ad Menippi exemplum scriptas, et Horatianas.

Plura autem contra has rationes dicenda sunt: Primum

[illegible] Lucianum non novisse [illegible] ille dicit. [illegible] [illegible] quin etiam Latine eum didicisse ille existimat [illegible] examinando [illegible] illo Lucianeo pro[illegible] [illegible] professendum est, [illegible] partem [illegible] [illegible] Refellendam esse Herm. Fritzschii senten[tiam] [illegible] sermonis repugnantem, quae hanc potius [illegible] interpretationem [illegible] Latein verstehe, und [illegible] admitterent. A. Heinrichius demon[strat] [illegible] usus ut Soph. Phil. 192 [illegible] 1110 [illegible] quibus ipse Herm. Fritzschius in adn. ad Horat. sat. [illegible] addidit, et ego eius sententiam amplector. Lucianus [illegible] Latine [illegible]. Sed Hermannus Fritzschius [illegible] complures notas [illegible] quae tamen nullum habent ponderis. Contra primum eius argumentum, quo Fritzschius usus est, monendum est, Lucianum, et cum Romae commorabatur [illegible] iam Iuvenalis temporibus ita deprecat[2] Horatius, ut carmina eius in scholis legerentur, et, cum rhetorica philosophiaque missa ad dialogos satiricos componendos se contulit, Horatium cognovisse, praesertim cum eadem[3] fere atque ille natura esset, verisimillimum esse. Contra alteram eius causam disputandum est, licet rhetores Graeci Romanos spernere soliti sint, Lucianum per totam vitam[4] rhetoricam nequaquam professum esse, sed, cum ad maiorem aetatem pervenisset, illam despexisse[5] et dialogo satirico excolendo gloriam affectavisse.[6] Ne tertiam quidem causam iustam esse A. Heinrichius[7] ostendit. Neque vero, quod postremum Herm. Fritzschius profert, ex nullo Luciani operum loco eum aut Latine scivisse aut Romanos scriptores legisse apparere, verum est. Obstare enim quae scripta sunt πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν c. 15 [illegible] [illegible] καὶ τῶν [illegible] καὶ τῶν [illegible], ὡς Ῥωμαῖοι [illegible] ὀνομάζουσιν, οὕτως ἀνέγραψε, qui libellus procul dubio genuinus est, vere idem A. Heinrichius adnotat; nullum autem

---

[1] v. Nigrin. c. 2; Alex. c. 30. [2] v. Iuv. VII 226. [3] v. A. Heinrich. l. l. p. 15. [4] v. Luc. bis accus. § 32. [5] v. bis accus. c. 28. [6] libellum, qui inscribitur ἀποφράς, quo a crimine illo, quod verbum ἀποφράς false usurpasse dicatur, se defendit Lucianus. [7] l. l. p. 14.

locum scriptorem Romanum redolere, quis demonstret? Neque enim fieri potuit, quin Lucianus, si omnino Romanorum rationem habebat, raro ad eos respiceret, quippe qui in litteris in universum nihili aestimarentur. Et in usum Graecorum ille scripsit, quibus illos notos esse non constabat. Graecos respiciens, etiam nomina Romana, mores Romanos transtulit. Quod Scipionem Africanum majorem confudit cum Scipione Aemiliano minore, in hac re nemo haeret, qui etiam Horatium in sui populi historia errasse [1]) meminerit.

Etiam quod Menippus communis Horati et Luciani auctor esse dicitur, dubitandum mihi videtur. Nam aliud est, Horatium consentire aut cum Luciano aut cum Varrone, aliud, Horatium consentire aut cum Luciano et Menippo aut cum Varrone et Menippo. Non omnia enim traxerunt Lucianus et Varro ex Menippi scriptis. Itaque nisi quis unumquemque eorum locorum et Lucianeorum et Varronianorum, quos in comparationem cum Horatianis vocamus, a Menippo ortum esse demonstraverit, quod in tanta operum Menippeorum inopia demontrari omnino non potest, de Menippo quidquam ex illo consensu colligere nobis non licet.

Quod similitudines inter Varronem et Horatium indagatas non ita interpretatur, ut hunc illo usum esse dicat, vere Herm. Fritzschius facit, nam Varro ab eorum partibus stabat, qui in litteris alia [2]) eaque contraria atque Horatius sequerentur. Nonne autem hac de causa etiam parum veri simile videatur, Menippo, quem unice Varro in saturis aemulabatur, Horatium usum esse?

A. Heinrichius similitudines illas eo refert, [3]) quod Lucianus hauserit ex Horatio, ita ratiocinatus: cum graves similitudines inter Horatium et Lucianum intercedant, aut idem ambobus aut ille huic exemplo fuit; illud de Menippo quidem falsum est, ergo verum hoc. Non autem animadvertit, si non Menippum, at alios utrique exempla praebere potuisse.

---

[1]) Teuffel. ‚Gesch. d. röm. Litt.‘ § 235, 6. [2]) Ritschel, Rhn. Mus. VI 493, Bergk. com. de rel. com. At. ant. 147. [3]) Wielandum, Luc. in ling. Germ. transl. I p. 75, II p. 22 secutus.

Jam ut quid ego de hac re sentiam exponam, quin Lucianus Horatium noverit, non dubium mihi videtur; neque tamen inde sequitur, ut eum imitatus sit, quod ipsum non satis credibile videtur, propterea quod Graeci in litteris Romanos spernere solebant. Num Menippus, cuius studia supra adumbravimus, communis utriusque scriptoris fons fuerit, ipsae illae similitudines accuratius inquisitae docebunt. Tamen id praemitto, certe falsum esse, omnes illos locos aut in Fritzschiorum Hertziique modum aut in A. Heinrichi modum explicare, nam profecto multae aliae rationes patent, quibus ille consensus effici poterat; satis habeo de antiqua comoedia Attica monuisse, quam saepius sibi ante oculos fuisse uterque narrat.

Sed tandem ipsas similitudines inspiciamus, primum a Theod., deinde ab Hermanno Fritzschio, tum ab A. Heinrichio inventas. Atque primum Theod. Fritzschius has affert:

Horat. sat. I, 1, 20, 21: ‚Quid causaest, merito quin illis Juppiter ambas Iratus buccas inflet' et Icaromen. c. 25, ubi Juppiter, preces hominum perpendens, justas sursum per caeli fenestras admissas ad dextram reponit, ‚*τὰς δ' ἀνοσίους ἀπράκτους αὖθις ἀπέπεμπεν ἀποφυσῶν κάτω, ἵνα μηδὲ πλησίον γένοιντο τοῦ οὐρανοῦ*'. Offendit autem in ea re, quod uterque Jovem buccas inflantem fingit. Sed hinc colligi nequit, ambos ad eundem scriptorem rediisse; immo ita illud expico, ut dicam, Horatium vulgarium dictionum studio [1]), quod lectis Graecorum comicorum fabulis auctum erat, hic indulsisse, Lucianum verbo ‚*ἀποφυσᾶν*' usum esse, quia solum aptum erat: preces enim ad Jovis aures ut flamina veniunt, quae ille, ut amoveat, *ἀποφυσᾶν* debet. Accedit quod in singulis multa satis dissimilia [2]) in illis locis sunt. Fortasse etiam bucconis Atellanae in mentem Horatio venerat, cuius ad speciem Jovem depingere juvit.

Horat. sat. II 6, 20: ‚Matutine pater, seu Jane libentius audis' et Luc. Tim. init. ‚*Ὦ Ζεῦ φίλιε καὶ ξένιε καὶ ἑταιρεῖε — καὶ εἴ τι σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι*'. Ne

[1]) sat. II 3, 33 crepare (id. ep. I 7, 84), sat. I 6, 5 naso suspendere adunco, sat. II 3, 53 caudam trahere, saepius, de quo v. Theod. Arnold. l. l. p. 28 adn. 4.

[2]) quae optime exposuit Wachsmuth. in rec. p. 198.

haec quidem similitudo gravior. Nam mos erat antiquis, compluribus nominibus deos implorare, cfr. Hom. Jl. I 37, XXIV 308, Aeschyl. Agam. 160, Catull. XXXIV 21 (v. etiam Plat. Phileb. p. 12, Xenoph. Symp. p. 522, Callim. hymn. in Dianam v. 7).

Horat. sat. I 3, 124, 125: ‚Si dives, qui sapiens est, Et sutor bonus et solus formosus et est rex‘ et Luc. vit. auct. c. 20 ‚ὅτι μόνος οὗτος σοφὸς, μόνος καλὸς, μόνος — βασιλεὺς — πλούσιος‘. Nihil valent hi loci, quia quod exhibent dogma Stoicorum vulgare est et saepe commemoratum, a Cic. de fin. III 75, pro Mur. XXIX 61, Paradox. V, VI, a Plut. de tranq. an. 12, de abs. Stoic. opin. 3, adv. Stoic. 3, a Lucil. frgm. inc. 23 p. 85 (ed. Gerlach.), a Varrone sat. Menipp. p. 156 (ed. Ries.). Quod Horatius et Lucianus id irrident [1]), non mirum, cum uterque pro indole sua omne genus insaniae castigaverit.

Horat. sat. II 5, 68, 69: ‚invenietque Nil sibi legatum praeter plorare suisque‘ et Luc. dial. mort. IX 3 ‚ἄλλας δὲ τὰς ἀληθεῖς διαθήκας ἔχων, ἐκείνας κατέλιπον οἰμώζειν ἅπασι φράσας‘. Quod uterque idem verbum ‚plorare‘ vel ‚οἰμώζειν‘ in eadem fabula usurpavit, equidem ita explico: illam sententiam, captatorem hereditatis spe deceptum nil nisi dolorem assecutum esse, certe de suo uterque deprompsit; et verbum ‚plorare‘ posuit, ut quantopere praeter spem illi evenisset, quam dilucidissime ostenderet. Ex ipsa igitur re, quam uterque tractabat, illud verbum natum esse puto, quare nos non habemus, cur unum scriptorem ab utroque expressum esse his locis opinemur.

Horat. sat. II 5, 83: ‚Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto‘ et Luc. adv. indoct. c. 25 ‚οὐδὲ γὰρ κύων ἅπαξ παύσαιτ‘ ἂν σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα‘. Hos locos cur ad eundem fontem revocemus, nulla omnino causa est, quoniam proverbium, alibi quoque commemoratum, exhibent. Cfr. Theocrit. idyll. X 11 ‚χαλεπὸν χορίω κύνα γεῦσαι‘ et Alciphron. ep. III 47 ‚οὐδὲ γὰρ κύων σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα τῆς τέχνης ἐπιλήσεται‘.

---

[1]) ut etiam ep. I 1, 106, 107; pisc. 35, Hermot. 16, 81.

Horat. sat. II 5 et Luc. dial. deor. XII, quamquam parodias continere Homeri Odysseae negari nequit, tamen ad Menippum revocanda esse ideo infitiandum est, quia alii quoque huiusmodi parodiis Homericis usi sunt. Scatet eis tota quae dicitur media comoedia, quam notam atque saepius exemplo utrique fuisse certum est.

Tum quod et Horatius in sat. II 5 et Lucianus in Necyomant. scurrae partes Tiresiae tribuit, Menippum sapere Theod. Fritzschius contendit, sed temere, ut mihi videtur. Certe apud Horatium ipsa res eas exegit: Horatius enim a descriptione Odyss. XI exhibita profectus in captatores suae aetatis invehi in animum induxit; Horatius saepe id secutus est, ut ridens diceret verum: nonne ut comicam personam Tiresias sumeret, facillime fieri potuit?

Horat. sat. II 5, 23—26: ‚Captes astutus ubique Testamenta senum, neu, si vafer unus et alter Insidiatorem praeroso fugerit hamo, Aut spem deponas aut artem illusus omittas‘ et Luc. Tim. c. 22 ‚ἀληθὲς ἄγοντας τὸ πένθος, οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών‘ et dial. mort. VI 4 ‚ὁ δὲ τοσοῦτόν μοι δέλεαρ καταπιὼν ἐφειστήκει θαπτομένῳ πρώην ἐπιγελῶν‘. Similitudo hic in ea re apparet, quod utrobique captatorum artificium cum piscatorum arte comparatur: ab Horatio captator significatur insidiator, commemoratur hamus praerosus, fuga appellatur, quod senex elapsus est; a Luciano mentio fit senis ut thynni, qui ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διαφυγεῖν perhibetur οὐκ ὀλίγον vel τοσοῦτον δέλεαρ καταπιών. Sed huic similitudini cur Menippi imitationem subesse putemus, non habemus, nam locupletissimo teste Hemsterhusio[1]) saepius haec comparatio occurrit. Et Plautum eam Horatio suppeditasse arbitror, de quo disserens Ribbeckius[2]) dicit „der Erfinder einer List gleicht einem Zimmermann, Baumeister . . . Fischer; das Opfer ist eine feindliche Stadt . . .; oder der Alte . . . wird ausgeweidet wie ein Fisch. Als Beute geht er ins Netz, in die Fischreuse.“

---

[1]) Luc. ed. Bip. tom. II p. 440.

[2]) Gesch. d. röm. Dichtung, I. Dichtung d. Republik p. 123.

Horat. sat. I 3, 80: ‚Siquis eum servum, patinam qui tollere jussus Semessos pisces tepidumque ligurrierit jus, In cruce suffigat: Labeone insanior inter Sanos dicatur‘ et Luc. Prom. 10 ‚ἀλλ᾽ ὅμως ἐκείνων οὐκ ἔστιν ὅστις τῷ μαγείρῳ σταυροῦ ἂν τιμήσαιτο, εἰ τὰ κρέα ἕψων καθεὶς τὸν δάκτυλον τοῦ ζωμοῦ τι περιελιχμήσατο ἢ ὀπτωμένων ἀποσπάσας τι κατεβρόχθισεν. εἰ δὲ καὶ πάνυ ὀργισθεῖεν. — ἀνεσκολοπίσθη δὲ οὐδεὶς παρ᾽ αὐτοῖς τῶν τηλικούτων ἕνεκα‘. Ne hic quidem cum Theod. Fritzschio facio, cum ex progressu sententiarum necessario haec verba nata esse censeam. Atque Horatio, qui cum adversus stoicorum illud ‚paria esse peccata omnia pariterque punienda‘ pugnet, parva amicorum peccata excusari vult, hoc in animo erat: si ab omnibus insani esse putatur, crudeliter vel in homines minimi pretii, qui aliquid commiserunt, invehi, quanto magis reprehendendum est, si quis amicum ob parvum aliquod delictum odit atque fugit? Hoc certe ille de suo deprompsit neque ideo quemquam ante oculos habuisse dici potest, quia paulo copiosius id descripsit. Circumspiciens igitur, quem amico opponeret, scilicet in servum, qui nihili aestimabatur, incidit, et in eum, qui in cena aliquod negotium haberet, quia inter cenandum amicum delinquentem facere constituerat. Atque eligit eum, qui cibos tollere jussus est. Jam quod ligurriens servus fingitur de piscibus et jure atque poena, qua ille a sano homine non afficiatur, crucis supplicium dicitur, nullam suspicionem movet, quia haec omnia tritissima erant. Jtaque ex ipso sententiarum progressu haec verba orta sunt; neque aliter apud Lucianum. Is enim exponit, quam injuste Juppiter Prometheum Caucaso clavis affigendum curaverit, quia ille in carnium distributione ipsi malas, sibi optimas partes exemisset, quam injuriam ut illustret, opponit, quomodo homines simili in re se gerant. Atque coqui peccatum aliquod quomodo illi accipiant, describendum sibi proponit, coqui, inquam, non pueri cibos tollere jussi. Etiam hanc imaginem eo modo institutam esse, ut coqui cuppediae, juris carnisque, crucis poenae mentio fieret, consentaneum est, cum Lucianus ea sumeret, quae saepissime viderat. Itaque non habemus, cur Horatio et Luciano alium scriptorem, nedum eundem

atque potissimum Menippum, ante oculos versatum esse opinemur, praesertim cum alii quoque scriptores similem imaginem exprimant, Epicrates (Mein. III p. 368) ‚*Τί γὰρ Ἔχθιον ἢ — ὁρᾶν τε κείμενα Ἀμήτας ἡμιβρῶτας ὀρνίθειά τε, Ὧν οὐδὲ λειφθέντων θέμις δούλῳ φαγεῖν. Ὥς φασιν αἱ γυναῖκες*‘, Lucil. XIII, VIII (ed. Luc. Mueller.) ‚jocundasque puer qui lamberat ore placentas,‘ Juv. IX, 5 ‚nos colaphum incutimus lambenti crustula servo‘, quem versum, qui nuper Juv. sat. edidit, Buechelerus mea sententia optimo jure retinuit.

Horat. sat. II 6, 63: ‚O quando faba Pythagorae cognata‘ et Luc. gall. 18 ‚*ἐκεῖνο δέ μοι εἰπέ, τί σοι ἐπῆλθε νόμον ποιήσασθαι μήτε κρέων μήτε κυάμων ἐσθίειν*‘; [1]) Hanc similitudinem nullius momenti esse facile perspicuum est, cum illud Pythagoreorum interdictum, ad quod illi alludunt, a sexcentis scriptoribus [2]) commemoretur atque etiam derideatur.

Quoniam omnes similitudines a Theod. Fritzschio indagatas perlustravimus, nullam extare, qua eius sententia commendetur, judicare licet; nulla enim ita comparata est, ut Menippi imitationem subesse dicendum sit.

Jam similitudines, quas Hermannus Fritzschius investigavit, perscrutemur, atque primum, quae inter Varronem et Horatium intercedant, videamus.

Horat. sat. I 3, 56: ‚Sincerum cupimus vas incrustare‘ et ep. I 2, 69: ‚Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu‘ et Varr. sentent. (Ries. p. 267, 58a) ‚Sapiunt vasa quicquid primum acceperunt‘. Nullam vim hanc similitudinem habere vere monet A. Heinrichius,[3]) cum ille locus Varronianus in Varronis, quae dicuntur, sententiis reperiatur, quarum nonnullae fortasse e Varronis libris fluxerint, non omnes, ut facile intellegatur, ex Varronis saturis Menippeis.[4]) Lucretio [5]), a quo multa Horatium mutuatum esse constat, eum illam comparationem pectoris humani cum vaso, quam

---

[1]) cfr. etiam Luc. ver. hist. II 24, vit. auct. c. 6.

[2]) de qua re v. Zelleri „D. Philos. d. Griech.“ I [4] p. 291 not. 1.

[3]) l. l. p. 9. [4]) Ries. praefat. X, cui Teuffel. „Gesch. d. röm. Litt.“ § 169, 2 assentitur. [5]) VI 17 sqq.

etiam ep. I 2, 54 adhibet, debere Weingaertnerus [1]) conicit; num probabiliter, in suspenso relinquo.

Horat. sat. I 3, 126: ‚„Non nosti, quid pater“ inquit „Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi nunquam Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens“‘ et Varr. sentent. (Ries. p. 271, 152) ‚sui dominus est, qui se philosophiae manciparit, qua nil jucundius cet.‘ Similitudo levissima est atque, etiamsi gravior esset, nihil valeret, cum hic locus Varronianus item inter Varronis sententias, quae dicuntur, sit, quae num ex eius operibus derivatae sint, ut jam diximus, incertum est.

Horat. II 2, 1: ‚Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 217) ‚Ergo tum Romae parce pureque pudentes Vixere in patria; at nunc sumus in rutuba‘ vel (Ries. p. 120) ‚animum mitto speculatum tota urbe, ut, quid facerent homines cum experrecti sint, me facerem certiorem . . Quid vidit aliud ac convivantes in extrema noctis tempora?‘ vel (Ries. p. 169)‘ non eos optume vixisse, qui divitissime vixent, sed qui modestissime‘ vel (Ries. p. 169) ‚quid aliud est, quod Delphica canit columna literis suis ἄγαν μηθέν quam nos facere ad mortalem modum medioxime, ut quondam patres nostri loquebantur?‘ Perperam hos quoque locos Herm. Fritzschius in suum usum convertit, quippe qui vulgares praebeant sententias, quas, quicunque considerabat res Romanas, tum volvebat. Similes locos vide in adn. edit. a. h. l.

Horat. sat. II 2, 77, 78: ‚corpus onustum Hesternis vitiis‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 128. XIX) ‚tu non insanis, qui tibi vino corpus corrumpis mero?‘ Ne haec quidem similitudo ullius momenti est, siquidem in eandem sententiam quivis sana mente facile incidit.

Horat. sat. II 2, 135, 136: ‚Quocirca vivite fortes Fortiaque adversis opponite pectora rebus‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 137): ‚sapiens et bonum ferre potest modice et malum fortiter aut leviter‘, de quibus locis idem judicandum est, nam haec quoque sententia tam trita est, ut nihil valeat, et vox ‚fortis‘ ut usurparetur, ipsa res flagitavit.

---

[1]) ‚de Hor. Lucr. imitatore‘, diss. Hal. a. 1874 p. 31.

Horat. sat. II 2, 17, 18: ,cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 236): ,praesertim cum ventrem meum cohcrceam nec murmurari patiar.' Haeret igitur Herm. Fritzschius in Horati ,stomachus latrat' et Varronis ,stomachus murmuratur', sed injuria mea sententia. Uterque enim naturam hominis describit, et peculiari quidem imagine usus describit. Neque cum Weingaertnero[1]) ad Lucreti exemplum, qui II 17 dicit ,nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut..' Horatianum ,latrare' referendum puto, praesertim cum ille id translata significatione pro ,latrando poscere', hic propria, ut nos dicimus ,bellen, knurren', usurpaverit.

Horat. sat. II 2, 53: ,Sordidus a tenui victu distabit' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 176): ,dominum convivii esse oportet non tam lautum quam sine sordibus'. Agitur autem hic de convivatoris habitu, illic de victu. Si hac de causa hos locos conectere jam dubitamus, vetamur etiam, propterea quod illa Horatiana ,tenue non sordidum est', ,tenue tantundem a luxuria, quantundem a sorde distat', ,tenue aurea est mediocritas, quam sequi nos oportet' ex Horati ratione vivendi fluxerunt, quam non ad hunc illumve scriptorem spectans ille sibi conformavit. Vox ,sordidus' autem ab utroque adhibita, quia cotidiana est, nullam suspicionem movet.

Horat. sat. II 2, 17, 18: ,cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 171, XVII) ,hanc eandem voluptatem tacitulus taxim consequi lapatio et ptisana possum'. Hic de aliqua similitudine vix cogitari potest, quia quae verba similitudinem efficerent, ea diversa sunt: Horatius proverbiali[2]) dictione ,cum sale panis', Varro peculiari ,lapatium et ptisana i. e. Sauerampfer und Gerstengrütze' utitur.

Horat. sat. II 2, 73—75: ,at simul assis Miscueris elixa... Dulcia se in bilem vertent' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 176): ,bellaria ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt: πέμμασιν enim cum πέψει societas infida'. Vana etiam haec similitudo est, cum illa sententia, quae ipsa non abdita est, diverse

---

[1]) l. l. p. 27. [2]) Plin. h. n. XXXI 89.

expressa sit: hic πέμματα i. e. Backwerk et πέψις i. e. Gekochtes, illic assa i. e. Gebratenes et elixa i. e. Gesottenes nominantur.

Horat. sat. II 3, 197, 198: ‚Mille ovium insanus morti dedit, inclitum Ulixem Et Menelaum una mecum se occidere clamans' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 127, XVI): ‚Aiax tum credit ferro se caedere Ulixem, Cum bacchans suile incedit porcosque trucidat'. Sane utrobique eadem fabula commemoratur, sed et diversis verbis narratur, et ipsa fabula in omnium ore fuit. Nulla igitur causa est, cur hanc similitudinem Herm. Fritzschius in suum usum convertat. Quod et Varro et Horatius a Sophocle dissentientes [1]) Aiacem opinantem fingunt, se una cum ceteris ducibus Ulixem interficere, non tanti momenti esse mihi videtur, quia etiam apud Sophoclem [2]) Minerva Ulixi interroganti, cur Aiax in greges impetum fecerit, respondet ‚δοκῶν ἐν ὑμῖν χεῖρα χραίνεσθαι φόνῳ'.

Horat. sat. II 3, 81, 82: ‚doceo insanire omnes vos, ordine adite. Dandast ellebori multo pars maxima avaris' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 128): ‚denique qui sit avarus sanus'. Etiam haec similitudo levis est. Nam illud ‚insanos esse avaros', quod auget Horatius, cum omnium, qui mente laborent, avaros maxime insanire dicit, ut nullo tempore ignotum, ita tum tritum erat, cum florerent Stoici, qui quaestioni illi, quis esset sanus, solvendae tantopere operam dabant.

Horat. sat. II 3, 121: ‚morbo jactatur eodem' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 129): ‚morbo stimulatus eodem'. Ex versibus duobus Latinis in idem verbum exeuntibus colligere eos, qui illos scripserunt, ex eodem scriptore Graeco hausisse, audacius mihi videtur, quam ut probari possit.

Horat. sat. II 4, 93—95: ‚mihi cura Non mediocris inest, fontes ut adire remotos Atque haurire queam vitae praecepta beatae' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 171.): ‚et hoc interest inter Epicurum et ganeones nostros, quibus modulus vitae est colina' et ‚putat fore hoc, quod his comedonibus convenit usu, quibus, mota voluptate cum edunt, dumtaxat gula gaudet'. Ubi acer-

[1]) Kiessling. adn. a. h. v. [2]) Ai. 42.

bitatem ironiae ad Menippum referendam esse Herm. Fritzschius putat, sed injuria. Primum enim ironiam loco Varroniano inesse omnino non video, deinde ironia sermonem perfundere omnino disci posse nego, nam qui non a natura illud tenet, nunquam tenebit. In verbis eligendis duce Lucretio, cuius versum I 927 vel IV 2: ‚iuvat integros accedere fontes Atque haurire‘ parodia deflexit, Horatium usum esse Weingaertnerus [1]) mihi probavit.

Horat. II 4, 33: ‚Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 138): ‚non posse ostrea se Romae praebere et echinos‘. Eaedem deliciae culinariae hic et illic compositae nullum habent pondus, quia notissimae acceptissimaeque erant et sententiarum nexus diversus est.

Horat. sat. II 5, 103, 104: ‚est Gaudia prodentem voltum celare‘ et Varr. sent. (Ries. p. 265, 11): ‚sic flet heres ut puella viro nupta: utriusque fletus non apparens est risus.‘ Ex Varronis, quae dicuntur, sententiis hic locus sumptus ea vi, quam tribuit Herm. Fritzschius, caret. Praeterea illa sententia tam vulgaris est, ut de ulla mutuatione cogitare omnino non liceat. Heredem enim flentem, sed ita flentem, ut fletus celaret gaudia vultus, quis tum, vel quis nunc non vidit?

Horat. sat. II 6, 71 sqq.: ‚Sermo oritur, non de villis domibusve alienis, Nec male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos Pertinet et nescire malumst, agitamus cet.‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 175): ‚sermones igitur id temporis (i. e. in cenando) habendos censet non super rebus anxiis aut tortuosis, sed iucundos et invitabiles et cum quadam inlecebra et voluptate utiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat et amoenius cet‘. Non esse puto, cur Horati ingenio hi versus abrogentur, qui germanam Horati naturam spirent. Qui cum semper, quid esset utile, quaereret, etiam inter cenandum de rebus utilibus sermones haberi voluisse consentaneum est.

Horat. sat. I 6, 109: ‚pueri lasanum portantes oenophorumque‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 160): ‚lecto strato

---

[1]) l. l. p. 23.

matellam lucernam ceterasque res esui usuique prae se portant'. Atque nulla similitudo nisi ea hic exstat, quod uterque synonymum usurpat — Horatius ,lasanum'[1]) ,Varro ,matella' —; sed haec similitudo profecto tam exigua est, ut hos locos inter se conectendos esse minime probet.

Horat. sat. I 5, 13, 14: ,Dum aes exigitur, dum mula ligatur, Tota abit hora' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 161): ,hic in ambivio navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam (Heinrichi mutationem ,ulvam' supervacaneam puto), qua ducerent, loro . . .'. Uterque de itinere in scapha suscepto, quae trahitur mula in litore acta, dicit. Cum aliud nihil simile sit, ne huic quidem similitudini quidquam tribuendum est, idque eo minus, quod iter a se factum Horatius hic describit, in quo describendo ad ea, quae ipse vidit, eum se applicasse per se patet, etiamsi singula eum ad aliorum exemplum, ut Lucili,[2]) exornasse negari nequit.

Horat. sat. I 5, 9, 10: ,Jam nox inducere terris Umbras et caelo diffundere signa parabat' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 161): ,Repente noctis circiter meridie, Cum pictus aër fervidis late ignibus Caeli chorean astricen ostenderet'. Diversa noctis tempora diversis verbis hic atque illic describuntur, ita ut non habeamus, cur hos locos inter se conjungamus.

Horat. sat. I 2, 25, 26: ,Maltinus tunicis demissis ambulat; est qui Inguen ad obscenum subductis usque facetus' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 166, IV): ,non modo suris apertis, sed paene natibus apertis ambulans, cum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos'. Hos locos quamquam et rebus et verbis inter se similes esse concedo, tamen cohaerere nego. Nam quod ad illustrandam illam sententiam ,dum vitant stulti vitia, in contraria currunt' etiam, quomodo corpora vestiant homines, exempli causa affert, hoc

---

[1]) sequor enim Acronem, qui quod lasanum intellegit „vas, in quo exoneratur venter", excepto Seebodio „Scholien zu Hor." Goth. 1839 p. 23 omnes fere viri docti probant.

[2]) cf. Iltgen. „de Hor. Luc. aemulat." prog. gymn. Montabaur. a. 1872 p. 14 sqq. et Luc. Mueller., C. Lucil. sat. rel. p. XIII.

certe Horatius nullius exemplum secutus affert. Hoc autem concesso, concidit verborum similitudo, quam exsistere necesse fuit, si usitatis verbis Horatius sententiam suam expressit. Manet igitur id modo, quod et Horatius et Varro illam sententiam, brevioribus tunicis nonnullos uti, comice augent. Sed ne hoc quidem quidquam referre puto, cum saepius [1]), ut in Tigelli descriptione [2]), hanc irridendi risumque movendi viam Horatius ingressus sit.

Horat. carm. IV 12, 1—6: ‚Jam veris comites, quae mare temperant, Impellunt animae lintea Thraciae; Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt Hiberna nive turgidi. Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens, Infelix avis‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 240, XIII): ‚ver blandum viget arvis, adest hospes hirundo‘. Praeterquam quod utrobique hirundinis, ut veris nuntiae, mentio fit, nulla similitudo inter has veris descriptiones intercedit. Haec una autem per se nihil valet, cum saepius [3]) eum in modum hirundo adhibeatur. Neque profecto ex Menippo [4]) cynico hanc suavem lepidamque veris descriptionem haustam esse dicemus.

Horat. ep. I 2, 47—49: ‚Non domus et fundus, non aeris acervus et auri Aegroto domini deduxit corpore febres, Non animo curas‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 103): ‚Non fit thensauris, non auro pectu' solutum: Non demunt animis curas ac relligiones Persarum montes, non atria diviti 'Crassi‘. Atque illa sententia, cum externa bona possideamus, non beatiores nos fieri, ita plane Horatiana est, ut in omnibus fere carminibus saepissime repetatur [5]). Quae quod uberius explicatur, mirum non est, neque aliter ea explicari potuit nisi ita, ut aurum commemoraretur, quod hominum curas non tolleret. In his solis verbis autem, auro et cura, Varro et Horatius consentiunt, quare nihil omnino est, cur affines hos locos du-

---

[1]) cf. Theod. Oesterlen. ‚Studien zu Verg. u. Hor.‘ Tubingae 1885, p. 50—70 ‚der Humor bei Hor.‘ [2]) sat. I 3 init.

[3]) v. ed., inprimis Mitscherlichi, adn. a. h. l.

[4]) Theod. Arnold. l. l. p. 14 adn. 1 dicit ‚die Frühlingsschilderung, carm. IV 12, 1 sqq., erscheint als Sammelplatz der gewähltest. alexandr. Ideen üb. dies Sujet‘. [5]) v. Fr. E. Th. Schmidi adn. a. h. l.

camus. Cf. etiam Tibull. III 3, 21: ‚Non opibus mentes hominum curaeque levantur‘. Sed de Lucreti v. II, 34—36: ‚Nec calidae citius decedunt corpore febres, Textilibus si in picturis ostroque rubenti Jacteris, quam si in plebeia veste cubandum est‘ Horatium cogitasse magis placet [1]), quod similia enuntiata ‚febres deducere corpore‘ et ‚febres decedunt corpore‘ flagitare videntur.

Has inter Varronem et Horatium similitudines Herm. Fritzschius affert: leves eas esse neque sufficere, ut Horatium cum Varrone et Menippo conectamus, vidimus. Alterum igitur Herm. Fritzschi argumentum corruit, qua ex re quid de tota eius sententia judicanda sequatur, elucet: etenim si usus esset Horatius Menippo, graves similitudines inter Horatium et Varronem exstare necesse esset.[2]) Verumtamen alterum argumentum, similitudines inter Horatium et Lucianum investigatas, inspiciamus, ita tamen ut neglegamus, quas et ipse Herm. Fritzschius non tanti aestimat et nos, cum de Theod. Fritzschio disputaremus, vanas esse jam intelleximus. His igitur ille nititur locis:

Horat. sat. I 4, 1: ‚Eupolis atque Cratinus Aristophanesque‘, Luc. bis accus. 33 ‚τὸν Εὔπολιν καὶ τὸν Ἀριστοφάνην‘, cfr. etiam pisc. 25. Totiens [3]) Eupolis et Aristophanes tamquam nobilissimi comoediae Atticae antiquae auctores componuntur, ut haec similitudo nullam praebeat causam, cur ex eodem fonte illos hausisse opinemur.

Horat. sat. I, 8, 26—28: ‚Scalpere terram Unguibus et pullam divellere mordicus agnam Coeperunt; cruor in fossam confusus‘ et Luc. Menipp. 9 ‚βόθρον τε ὠρυξάμεθα καὶ τὰ μῆλα ἐσφάξαμεν καὶ τὸ αἷμα περὶ αὐτὸν ἐσπείσαμεν‘;.

Horat. sat. I 8, 33, 34: ‚Hecaten vocat altera, saevam Altera Tisiphonen‘ et Luc. Menipp. 9 ‚ὁ δὲ μάγος ἐν τοσούτῳ δᾷδα καομένην ἔχων παμμεγέθες, ὡς οἷός τε ἦν, ἀνακραγὼν δαίμονάς τε ὁμοῦ πάντας ἐπεβοᾶτο καὶ Ποινὰς καὶ Ἐρινύαςκ αὶ νυχίαν Ἑκάτην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν‘;

[1]) hoc Weingaertner. l. l. p. 17 opinatur.

[2]) ita etiam A. Heinrichius l. l. p. 10 ratiocinatur.

[3]) ipse Herm. Fritzschius in adn. a. h. l. exempla cumulat.

Horat. I 8, 34, 35: ‚serpentes atque videres Infernas errare canes' et Luc. Menipp. 10 ‚εὐθὺς οὖν ἅπαντα ἐκεῖνα ἐσαλεύετο καὶ ὑπὸ τῆς ἐπῳδῆς τοὔδαφος ἀνερρήγνυτο καὶ ἡ ὑλακὴ τοῦ κερβέρου πόρρωθεν ἠκούετο καὶ τὸ πρᾶγμα ὑπερκατηφὲς ἦν καὶ σκυθρωπόν';

Horat. sat. I 8, 35, 36: ‚Lunamque rubentem Ne foret his testis, post magna latere sepulchra' et Luc. Icaromenipp. 21, Σελήνη· ‚κἂν τινα ἴδω αὐτῶν μοιχεύοντα ἢ κλέπτοντα —, εὐθὺς ἐπισπασαμένη τὸ νέφος ἐνεκαλυψάμην, ἵνα μὴ δείξω τοῖς πολλοῖς γέροντας ἄνδρας βαθεῖ πώγωνι καὶ ἀρετῇ ἐνασχημονοῦντας", quae similitudines cum in eisdem Horati et Luciani scriptis inveniantur, magnam vim iis tribuit Fritzschius.

Atque illi loci primo loco inter se comparati nihil demonstrant, cum exhibeant, quae inter usitatas[1]) magiae caerimonias sint, idque eo magis, quia diverso modo sunt exornati: Horatius verbis horridae notionis electis diram imaginis formam auget, Lucianus, quae sint parata, simpliciter refert.

Qui sequuntur loci hanc offensionem praebent, quod ut Lucianus Hecaten et Furias, ita Horatius Hecaten et Tisiphonen, unam e Furiis, invocari fingit, cum in ceteris[2]) carminibus magicis, quamvis Hecate imploretur, non addatur Furiarum invocatio. Sed ne hoc quidem gravioris momenti est, cum Lucianus ‚δαίμονας ὁμοῦ πάντας', qui in talibus sacrificiis invocari poterant, ‚καὶ Ποινὰς καὶ Ἐρίνυας καὶ Ἑκάτην καὶ Περσεφόνειαν' hic. enumeraverit. Itaque si Horatius, quod non mirum est, praeter Hecaten alteram deam nominare constituerat, eandem, quam Lucianus nominaverat, ipsum quoque nominare necesse erat.

Etiam quos deinde componit locos, iniuria Herm. Fritzschius in suum usum convertit. Ubicunque[3]) enim poetae effectum carminis magici et deae imploratae adventum describunt, easdem rationes eademque verba, quibus Horatius et Lucianus usi sunt, adhibent. Itaque certam quandam normam illius imaginis exor-

---

[1]) cf. Hom. Od. XI 35, 36, de la Cerda ad Verg. Aen. VI 243.
[2]) Theocr. II 12, Verg. Aen. IV 511, VI 246, Ov. Met. VII 194.
[3]) Theocr. II. 35, Verg. Aen. VI 256, Ov. Met. XIV 410.

nandae fuisse apparet, ad quam omnes, si res poscebat, se applicabant.

De ultima similitudine haec dico: si illa sententia, quod luna, quia scelerum humanorum eam pudeat, se abscondere dicitur, apud Lucianum in eodem atque apud Horatium conexu occurreret, fieri non posset, quin Herm. Fritzschi sententiae nos addiceremus. Sed cum alio in conexu, ad alias res atque personas translata ea reperiatur, non est, cur ei assentiamur. Immo de suo Horatium eam deprompsisse arbitror, quae tam dilucide ingenium eius prae se ferat. Nam ut erat facetus, ut Orelli verbis utar, facete hic quoque, ut ostenderet Canidiam peiorem et magis abominabilem ceteris veneficis, quibus alias adesse solet Luna, finxit eam propter pudorem sese abdidisse.

Singulae igitur illae similitudines nihil valent, neque plus cumulatae, cum omnes ad rem magicam pertineant, cuius rei apparatus ab Homero erat certissime constitutus. Quod psychomantiam omnino perstrinxit, ne huius quidem rei exemplo Horatius egebat, quia tales artes illis[1]) temporibus maxime florentes bilem eius movere necesse erat.

Horat. Sat. I 1, 68—71: ‚Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina — quid rides? Mutato nomine de te Fabula narratur: congestis undique saccis Indormis inhians‘ et Luc. Tim. 18 ‚*διδόασι* (sc. avari) *τὴν δίκην ὥσπερ ὁ Τάνταλος ἄποτοι καὶ ἄγευστοι καὶ ξηροὶ τὸ στόμα, ἐπικεχηνότες μόνον τῷ χρυσίῳ*‘ et Luc. Char. 15 ‚*αἱ ἐλπίδες ἀναπτάμεναι οἴχονται, κεχηνότας αὐτοὺς ἀπολιποῦσαι, ὅπερ καὶ τὸν Τάνταλον κάτω πάσχοντα ὁρᾷς ὑπὸ τοῦ ὕδατος*‘. Quos locos ut inter se conjungat, duabus causis Herm. Fritzschius movetur, primum quod utroque loco dives cum Tantalo comparatur, deinde quod inhians ille perhibetur, sed earum rerum neutra ita comparata est, ut a communi auctore descriptionem petitam esse probet. Etenim Tantali fabula de avaris usurpata omnibus praesto erat, postquam philosophi, in primis Teles[2]) Pythagoreus, Tantalum ut imaginem cupiditatis non explendae quasi san-

[1]) teste Cic. Tusc. I 16, de divinat. I 132, in Vatin. 6, 14.
[2]) Stob. 97, 31; cf. Orelli et Kiesslingi adn. a. h. l.

xerunt; atque verbum, ‚inhiare‘ de avaro dictum inculcabatur et imagine Tantali, quae paulo ante adhibetur, et vi sua, qua solum[1]) totam expleret sententiam, atque inculcabatur eo vehementius, quo usitatius[2]) utrique erat. Accedit, quod Horatius vocabulorum significanter dictorum studium[3]) haud scio an e comoedia Attica antiqua ceperit.

Horati sat. II 5 et Luciani dialogum[4]), qui inscribitur Menippus, et tota compositione et singulis quibusdam rebus congruere Herm. Fritzschius contendit. Atque ut primum compositionem examinemus, sane ut hic Menippum, ita ille Ulixem a Tiresia apud inferos consilium petentem inducit, uterque de alia re, atque Homerus Ulixem. Sed hoc indicium esse, ambos idem exemplum sibi proposuisse nego. Nam licet Lucianus ad Menippum[5]) recurrerit, Horatius ipsa Homeri Necyomantia motus illam saturam composuisse dici potest, cuius rei locupletissimus testis est Schillerus, qui ad Goethium scripsit haec[6]): „Ich habe dieser Tage den Homer zur Hand genommen und . . . . . in der Nekyomantie eine prächtige Quelle von Parodien entdeckt, um die verstorbenen Autoren und hie und da auch die lebenden zu plagen. Denken Sie auf eine Introduction Newtons in der Unterwelt . . . Beim Schlusse denke ich geben wir noch eine Komödie in Epigrammen,“ quod eum etiam perfecisse notum est. Atque Timonem subesse Th. Arnold.[7]) opinatur. Et fieri poterat, ut a Pindaro, Sophocle, Theocrito, aliis, qui Tiresiam de quavis re a quovis

---

1) cf. inprimis Kirchneri (Stralsund. 1829) adn. a. h. l.: ‚inhiare bezeichnet den körperlichen Ausdruck der Begierde‘ et Taubmann. ad Plaut. Tri. 1, 2, 132.

2) de Horatio eo utente v. Zangenmeisteri ind. in ed. Bentl.; Lucianus eo utitur de merc. cond. 3, pisc. 34, imag. 1, dial. mort. V 1, VI 3 saepius.

3) ventri bellum indicere sat. I 5, 8 repere v. 25, curtus sat. I 6, 104, defricare sat. I 10, 4. al. cf. Arnold. l. l. I 37.

4) quem genuinum esse nuper Prellerus, encyc. rer. IV p. 1175, et Fritzschius, ed. Luc. prol. III² p. LVI, demonstraverunt.

5) ut jam Casaubonus de satyr. poes. p. 206 ed. Ramb. coniecit.

6) cfr. Wachsmuth., sillograph. Graec. ed. prim. p. 16, ed. alt. p. 40.

7) l. l. I 6; 26 [illegible]

Tiresiam Ulixi, qui interrogavit, quomodo ditescere posset, respondentem facit, senum testamenta captanda esse, et captatoria artificia aperientem, in captatores invehitur; Lucianus et descriptione itineris Menippei ad inferos hominum commenta de inferis irridet divitesque potissimum ac potentes increpat et Tiresiae praecepto de optima vivendi ratione superbiam litteratorum hominum illudit. Sed videamus, quas similitudines Herm. Fritzschius detexerit: v. 25 ‚Insidiatorem praeroso fugerit hamo' et Luc. dial. mort. VI 4 ‚ὁ δὲ τοσοῦτον μοι δέλεαρ καταπιὼν ἐφειστήκει θαπτομένῳ πρῴην ἐπιγελῶν'; v. 44 ‚Plures adnabunt thynni et cetaria crescent' et Luc. Tim. 22 ‚τοὺς μάτην κεχηνότας ἐκείνους ἐς ἀλλήλους ἀποβλέποντας καταλιπὼν ἀληθὲς ἄγοντας τὸ πένθος, οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών'. Atque quoniam illam similitudinem nullam vim habere jam intelleximus, hanc inspiciamus. Qui fit, ut ipsos thynnos Horatius commemoret? Equidem respondeo, quia thynni commemorati soli id, quod Horatio in animo erat, explebant. Thynni enim soli notorum piscium catervatim et celeriter natant [1]); Horatius autem hoc sensit ‚si haec praecepta secutus eris, maxime tibi proderis, plures senes tibi conciliabis, qui item celeriter alios adducent'. Qua de causa etiam apud Herodotum [2]) est ‚Ἔρριπται ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται, Θύννοι δ'οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός'. Neque vero mentio cetariorum et σαγήνης vim huius similitudinis auget, nam diversa haec verba significant, cetaria auctore schol. Cruq. ‚loca iuxta lacum, ubi cete, thynni et alii pisces capti saliuntur', σαγήνη ‚rete quoddam magnum'. Itaque cum ne in singulis quidem memorabiles similitudines sint, nos non habere, cur ad Menippi auctoritatem Horat. sat. II 5 scriptam esse existimemus, apparet. Hac autem similitudine inter Horat. sat. II 5 et Luciani Menippum examinata, ad finem earum, quas Herm. Fritzschius in medium protulit, jam pervenimus: itaque ne ei quidem, quamvis magnam operam impenderit, contigisse, ut sententiam suam, Horatium usum esse Menippo, probaret, judicare licet.

---

[1]) cfr. Oppian. Hal. III 631. [2]) I 64.

Restat, ut similitudines ab Heinrichio allatas perscrutemur. Quas quamquam ille eo consilio attulit, ut Horatio Lucianum usum esse demonstraret, tamen nobis neglegendas non esse puto, quia fieri potest, ut harum in numero aliqua sit, quae ad Menippum nos revocet. Omissis igitur iis rebus, de quibus jam dictum est, hae supersunt:

Horat. sat. I 3, 25: ‚Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis‘, Luc. Tim. 2 de Jove, qui tam diu hominum maleficia impunita esse sinat, ‚*λημᾷς καὶ ἀμβλυώττεις πρὸς τὰ γιγνόμενα*‘. Jocosae elocutioni ‚lippus es‘ pro simplici ‚non vides‘, ab utroque usurpatae, nihil tribuendum est, quia omnium comicorum et satiricorum ea propria est. Cfr. Aristoph. nub. 327, Pers. I 79, Luc. adv. indoct. 23. Atque Horatio eo facilius haec lippi imago in mentem venire poterat, quia ipse lippitudine affectus erat. Quod Kiesslingius ad h. l. adnotat, Horatium versus comici Graeci cuiusdam a Plutarcho *π. πολυπραγμ.* 1, *π. εὐθυμίας* 8 allatos ‚*τί τἀλλότριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε, κακὸν ὀξυδορκεῖς, τὸ δ'ἴδιον παραβλέπεις*‘ vertisse, ego non probo. Nam consensus, praeterquam quod verba ‚*ὀξυδορκεῖν*‘ et ‚acutum cernere‘, quae ipsa res postulabat, inter se respondent, in sententia modo inest, quae Horatio ipsa vita suppeditante nota erat.

Horat. sat. II 2, 98, 99: ‚derit egenti As, laquei pretium‘, Luc. Tim. 20 ‚*εἰπεῖν ἔχοιμι ... οὐδὲ ὀβολόν, ὥστε πρίασθαι βρόχον, ἐσχηκότας*‘. Proverbiale enuntiatum a duobus scriptoribus adhibitum ex eodem fonte eos hausisse non indicat. Ad illud Plautus Pseud. I 1, 88 alludit.

Horat. sat. II 3, 96—98: ‚quas (sc. divitias) qui construxerit, ille Clarus erit, fortis, justus. ‚Sapiensne?‘ Etiam, et rex et quidquid volet‘, Luc. Tim. 51 ‚*καὶ γὰρ ῥήτωρ ἄριστος ὁ Τίμων καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὁπόσα ἂν ἐθέλῃ*‘. Additamenta haec hyperbolice dicta cotidie usurpantur, quare similitudo, in iis posita, nullius momenti est.

Horat. a. p. 304: ‚Nil tantist‘, i. e. si laudem poetae nulla re acquirere possum, nisi mentis sanitate impensa, non cupio, repudio. Luc. ‚quomodo historia sit conscribenda‘, ubi Diogenes, cum omnes Corinthii bellum contra Philippum

summo cum studio pararent, ne solus otiosus inter tot occupatos videretur, palliolo succincto dolium, in quo habitaret, sursum deorsum in Cranio studiose volvisse narratur. Atque similitudo in ea re est, quod Horatius et Diogenes, ceteris insanientibus, sanos et sapientes se praestant; ex hac autem concludere, affinitatem quandam inter Horatium et Lucianum intercedere, plane ineptum est.

Horat. a. p. 304 et 306: ‚Ergo fungar vice cotis', ‚Munus et officium, nil scribens ipse, docebo', Lucian. ‚quomodo historia sit conscribenda' init., ubi Lucianus cum Diogene se conferens, ne solus mutus in tanta omnium garrulitate esset, se quoque, quantum posset, dolium suum volvere aptum duxisse dicit, non ita ut historiam, sicut ceteri, conscriberet, *οὐχ οὕτω μεγαλότολμος ἐγὼ . . . .*, sed *παραίνεσιν δέ τινα μικρὰν καὶ ὑποθήκας ταύτας ὀλίγας ὑποθήσομαι τοῖς συγγράφουσιν, ὡς κοινωνήσαιμι αὐτοῖς τῆς οἰκοδομίας, εἰ καὶ μὴ τῆς ἐπιγραφῆς.* Sane uterque id unum se secuturum esse dicit, ut aliis, quid faciendum sit, praescribat; sed hac in re eos consentire necesse erat, cum uterque rationem artis cuiusdam exponere instituisset.

Horat. a. p. 139: ‚Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus', Luc. ibid. 23 ‚*Ὤδινεν ὄρος* (*Ζεῦς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν*', ut totus est versus apud Athen. XIV. p. 616 d). Haeremus ea in re, quod uterque hoc proverbium in eam sententiam convertit, ut moneat, ne prooemium splendidum sit atque magnificum, cum ipsa argumenti tractatio sit vilis et pusilla. Menippum autem huius usus auctorem fuisse ideo credi nequit, quia ei usui, si modo verisimilia computamus, locum non praebet Menippi imago, quam supra conformavimus. Neque quemquam illis hunc proverbii usum suppeditasse puto, sed utrumque suo ipsius amore[1]) proverbiorum ad eum ductum esse existimo.

Horat. a. p. 86: ‚Descriptas servare vices operumque colores', Luc. ibid. 23 ‚*χρὴ . . . . ὅμοια τὰ πάντα καὶ ὁμόχροα εἶναι*'. Nihil hi loci valent, cum color frequentissimo usu de oratione translate dicatur[2]).

---

[1]) de Luc. amore proverbiorum cf. Sommerbrodt. praef. ed. Luc. p. XXVI. et ind. ed. Jacobitz. et Bipont. s. v. ‚proverbia'.

[2]) v. cum manualia, quae vulgo usurpantur, tum ind. Cic. et Quintil, atque Ernesti techn. Graec. rhet. s. v. *χρῶμα*.

Horat. a. p. 225—250, qui versus de dramate satyrico sunt, Luc. ibid. 44, 45, 46, ubi praecepta dantur, qua oratione rerum scriptor uti debeat. Et argumenta horum locorum ea in re concinunt, quod sermonem medium, qui tantum a sublimi, quantum ab humili absit, raro imagines usurpandas esse uterque docet. Sed hic consensus levis est, quippe quem ipsa res, quam uterque tractabat, per se efficiebat. Neque gravior in verbis conspicitur similitudo. Nam sermonem abiectum et humilem eum dicere, qui in tabernis, *ἐν καπηλείοις*, aut in triviis, *οἷα ἐκ τριόδου* (apud Luc. ibid. c. 16), audiretur, usitatissimum erat. Atque etiamsi gravior quaedam similitudo, quae ad communem aliquem auctorem referenda esset, inter hos locos intercederet, de Menippo non cogitandum esset, quem a quaestionibus his locis institutis alienum fuisse verisimillimum est.

Horat. a. p. 372—78: ‚mediocribus esse poetis Non homines, non di, non concessere columnae. Ut gratas inter mensas symphonia discors Et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver Offendunt . . . . . .: Sic . . . poema., Si paullum summo decessit, vergit ad imum', Luc. ibid. 56: cum rerum copia est, celeritate in narrando opus est; quin etiam multa omitti possunt, ut etiam in convivio, cum conquisitissimae epulae paratae sint, non viles amicus amico apponit. De his locis idem dicendum est: sane uterque ex cena eiusque apparatu petit aliquid, quo praeceptum suum ad scriptum quoddam pertinens illustret; sed sine momento hoc esse, Cicero, Quintilianus I 2, 14, VI 3, 14, X 1, 58, alii testantur. Et etiamsi gravioris momenti hoc esset, ambobusque idem exemplar vindicandum esset, cur Menippum potissimum auctorem fuisse diceremus, non haberemus, quem talis comparationis instituendae occasionem non habuisse certum est.

Horat. ep. I, 4, 9: ‚qui sapere et fari possit quae sentiat', Luc. ibid. 37 ‚*καὶ τοίνυν καὶ ἡμῖν τοιοῦτός τις ὁ μαθητὴς νῦν παραδεδόσθω, συνεῖναί τε καὶ εἰπεῖν οὐκ ἀγεννής*'. Hac ex similitudine concludere Menippo Horatium usum esse, ideo probandum non est, quia verba, quibus Lucianus usus est, ea, quae antea disseruerat, breviter comprehendunt. Horatio ita scribenti si omnio alius auctoris exemplum supponendum est,

Themistoclis verborum apud Thucyd. II 60 ‚οὐδενὸς οἴομαι ἥσσων εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα' in mentem venire potuit, quae etiam Luciano nota fuisse de saltat. c. 36 et rhetor. praecept. c. 1 demonstrant.

Horat. sat. II 55—57: ‚Plerumque recoctus Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem Captatorque dabit risus Nasica Corano', Luc. dialog. mort. V 1 ‚ὁ μὲν (i. e. ὁ πλούσιος Εὐκράτης) ἔστω ἀθάνατος, οἱ δὲ (i. e. οἱ τὸν κλῆρον θηρῶντες) προαπίτωσαν αὐτοῦ μάτην ἐπιχανόντες', ad quod Mercurius ‚γελοῖα πείσονται, πανοῦργοι ὄντες'. Quod utrobique verbum ‚inhiare' de captatore usurpatur, A. Heinrichio suspicionem movet, ut utrumque eodem auctore usum esse credat, sed sine justa causa. Nam apud Horatium inde illud exsistit, quod longius persequitur fabulam, quam, corvi mentione facta, inchoavit. Praeterea hunc illius verbi usum omnino non insolitum fuisse, ex Plaut. Stich. IV 2,25 et mil. glor. III 1, 121 elucet.

Horat. sat. I 1, 9, 10: ‚Agricolam laudat juris legumque peritus, Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat', Luc. de merc. cond. 30: ‚ὑπὸ δ' ᾠδὴν ἀλεκτρυόνων ἀνεγρόμενος, „ὢ δείλαιος ἐγώ" φῄς'. De alia persona hic atque illic agitur, quare quo jure ambo loci ex communi fonte fluxisse dicantur, intellegi nequit. Potius ita res se habet, ut per se et Horatius et Lucianus eo venerint, ut incommodum mane surgendi commemorarent. Atque Horatius hoc ipsum commemorat, quia ipse aegerrime id ferebat[1]); Lucianus id commemorat, quia omnia vitae docti hominis mercede conducti incommoda enumerat. Ut Lucianus, ita Horatius haud scio an comoediam Atticam antiquam imitatus[2]) hyperbolice ‚sub galli cantum' dixerit, sicut etiam sat. I 6, 42, 43 ‚plostra ducenta — tria funera', sat. I 5, 3 ‚Graecorum longe doctissimus', aliud hyperbolice dixit.

Horat. sat. II 5, 74, 75: ‚Scribet mala carmina vecors: Laudato', Luc. ibid. 35 ‚ἢν δὲ ποιητικὸς ἢ συγγραφικὸς ὁ πλούσιος ᾖ καὶ παρὰ τὸ δεῖπνον τὰ αὐτοῦ ῥαψῳδῇ, τότε καὶ μάλιστα διαῤῥαγῆναι χρὴ ἐπαινοῦντα. Talis[3]) rei observandae occasionem

[1]) sat. I 6, 120, 122.
[2]) cfr. Theod. Arnold. l. l. p. 36.
[3]) cfr. Martial. III. 50; XII, 40.

vita saepissime praebebat; quare non habemus, cur Horatium et Lucianum haec scribentes inter se conectamus, idque eo minus, quod verba, quibus utuntur, valde inter se discrepant: ille simpliciter, quod vidit, refert, hic verbo *διαῤῥήγνυσθαι*[1]) adhibito comice sententiam exaggerat.

Horat. sat. I 1, 111 et 112 (Illuc, unde abii, redeo, qui nemo, ut avarus, Se probet . . .) ,neque se maiori pauperiorum Turbae comparet', Luc. Char. 17 ,*ἀλλὰ τὸ αἴτιον, ὅτι τὸν μὲν εὐτυχοῦντα ἐπὶ τῷ παιδὶ ἐκεῖνον ὁρᾷ . . . . τὸν γείτονα δὲ τὸν ἐκκομίζοντα τὸ παιδίον οὐχ ὁρᾷ*'. Ne haec quidem similitudo maiorem habet vim. Nam illa sententia, homines se suaque omnia ex divitum feliciumque, non pauperum infeliciumque rebus metiri solere, non insolita est et saepius[2]) dicta.

Horat. sat. II 2, 129—132: ,propriae telluris erum natura nec illum Nec me nec quemquam statuit; nos expulit ille; Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris, Postremum expellet certe vivacior heres', Luc. ibid. 20 ,*ἀνάγκη αὐτὸν μὲν γυμνὸν οἴχεσθαι, τὴν οἰκίαν δὲ καὶ τὸν ἀγρὸν καὶ τὸ χρυσίον ἀεὶ ἄλλων εἶναι καὶ μεταβάλλειν τοὺς δεσπότας*'. Haec quoque sententia tam frequens[3]) atque trita est, ut ex eodem fonte Horatium et Lucianum eam hausisse contendere non possimus.

Horat. sat. I 3, 90—94: ,Comminxit lectum potus mensave catillum Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem, Aut positum ante mea quia pullum in parte catini Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit?', Luc. Prom. c. 8: ,*καίτοι τάς γε ἀπάτας, ὦ Ἑρμῆ, τὰς τοιαύτας συμποτικὰς οὔσας οὐ χρή, οἶμαι, ἀπομνημονεύειν, ἀλλ' εἰ καί τι ἡμάρτηται μεταξὺ εὐωχουμένων, παιδιὰν ἡγεῖσθαι*', c. 9 ,*ἢ τί γὰρ ἂν ἐποίησεν οὗτος ὅλον βοῦν ἀπολέσας, εἰ κρεῶν ὀλίγων ἕνεκα τηλικαῦτα ὀργίζεται;*' Atque certe Lucianus cur his locis alius scriptoris exemplum secutus esse dicatur, non est, nam haec argumenta eum afferre necesse erat, qui undique

[1]) saepius id occurrit apud Aristoph.; cfr. Dunbar, concordance to the comedies and fragments of Aristoph.

[2]) cfr. Plutarch. *περὶ εὐθυμίας* 10.

[3]) qui alios huius modi locos desiderat, editores Horatianos et Lucianeos adeat, qui multa exempla a. h. l. adnotaverunt.

argumenta conquireret, quibus Promethea a Jovis criminibus defenderet. Tum vero omnis causa, cur Horatio Menippum ante oculos obversatum esse opinemur, concidit. Praeterea hunc Horatianum locum omnino tam singularem esse, ut ullam imitationis suspicionem moveat, nego. Cuius rei testimonium est poeticum illud ‚*μισῶ μνάμονα συμπόταν*‘ a Luciano conv. 3 [1]) traditum.

Horat. II 3, 253—257: ‚faciasne quod olim Mutatus Polemon? ponas insignia morbi, . . . potus ut ille Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas, Postquamst inpransi correptus voce magistri?‘, Luc. bis accus. 16 ‚*κατ' ὀλίγον* .... *ἀνένηφε* (sc. *ὁ Πολέμων*) *πρὸς τοὺς λόγους καὶ ἀφαιρεῖται τοὺς στεφάνους*‘. Adnotat autem A. Heinrichius, se ea quidem re, quod omnino mentio fieret ab Horatio et Luciano huius Polemonis fabellae, non commotum esse, ut affinitatem quandam inter illos intercedere putaret. Quod recte dicit, nam notissima illa est saepissimeque prodita, a Valer. Maxim. VI 9 ext. 1, a Plutarch. de adulat. et amico 32, ab Arriano Epictet. diss. III 1, 14, IV, 11, 30, a Diog. Laert. IV 3, 1 sq., ab Origene contra Celsum I 64, III 67, a Themistio orat. XXIV p. 303 [2]). Sed verba, quibus ea ab ambobus narrata est, A. Heinrichio illam suspicionem moverunt. Quamquam ne haec quidem ita comparata sunt. Nam illud ‚voce magistri correptus coronas ex collo carpsit‘, ‚*ἀνένηφε πρὸς τοὺς λόγους καὶ ἀφαιρεῖται τοὺς στεφάνους*‘, cum ipsa hac narratione contextum est, quod refert etiam Valer. Maximus VI 9, 1 ‚coronam capite detractam proiecit‘. Itaque his quoque locis A. Heinrichius nimiam vim tribuit.

Horat. sat. I 10, 71: ‚Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues‘, Luc. dialog. deor. XXII 1 ‚*τί δακὼν τὸν δάκτυλον ζητεῖς καὶ ἐπὶ πολὺ ἀπορεῖς;*‘ rhetor. praecept. 11 ‚*εὑρήσεις ... ἄνδρα ... τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον*‘. Si Lucilii sat. frgm. XXIX, 25 p. 115 ed. Muel. ‚hic me ubi vidit, subblanditur, palpatur, caput scabit‘, quod sane de blan-

[1]) ad quod Solanus Luc. ed. Bipont. confert Plut. 1087.

[2]) Herm. Fritzschius hos locos adnot. a. h. l. collocat.

diente dictum est, Varronis fr. p. 261 ,scabens caput novo partu poetico', Persii V 162 ,crudum unguem abrodens' de zelotypo dicentis, similium locutionum ,χείλη δάκνειν[1]), γλῶτταν δάκνειν', de haesitantibus, de iratis usurpatarum recordatus eris[2]), ne hanc quidem similitudinem casui tribuere dubitabis[3]).

Apud Horatium in initio artis poeticae scripta sunt haec: si quis pictor monstrum ita formavit, ut caput sumeret a formosa muliere, cervicem ab equo, caudam a pisce, cetera membra variis plumis induta ab aliis animalibus, risum movet; aeque ridiculum est poema non ex aptis partibus constans. Apud Lucianum imag. 5, ubi Lycinus, pulchram feminam descripturus, pulcherrimas partes pulcherrimorum Praxitelis, Alcamenis, Calamidis, Phidiae operum in unam concinnamque imaginem a ratione componi vult, Polystratus respondet haec ,εὖ λέγεις· καὶ δὴ παραλαβὼν δεικνύτω. ἐθέλω γὰρ εἰδέναι ὅ, τι καὶ χρήσεται αὐταῖς ἢ ὅπως ἐκ τοσούτων μίαν τινα συνθεὶς οὐκ ἀπᾴδουσαν ἀπεργάσεται'. Similia in his verbis duo insunt: quod de mixta quadam atque composita imagine agitur et quod concinnitas quaedam sive ipsius rei sive eius, quacum comparata est, postulatur. Quarum similitudinum cum haec, quae ex ipsa incepti natura sequitur, nihili aestimanda sit, manet illa, quod de imagine ex variis rebus composita uterque dicit. In hac autem imagine describenda cum Lucianus se (non Menippum, sed) Homerum imitatum esse apertis verbis declaret[4]), ne Horatium quidem hoc loco Menippum secutum esse dicemus.

---

[1]) ἑαυτὸν δάκνειν Aristophanes ran. 43, vesp. 778 pro ,sich das Lachen verbeissen' adhibet.

[2]) cfr. Wyttenb. ad Eunap. p. 109, Boisson. p. 348.

[3]) cfr. etiam Quintil. X 3, 21; XI 3, 158.

[4]) pro imag. 24: ,εἰ δὲ καὶ ὅ, τι μάλιστά σε αὐταῖς ἐκείναις (sc. ταῖς θεαῖς) εἴκασα, οὐκ ἐμὸν τοῦτο, οὐδ' ἐγὼ πρῶτος ταύτην ἐτεμόμην τὴν ὁδόν, ἀλλὰ πολλοὶ καὶ ἀγαθοὶ ποιηταί, καὶ μάλιστα ὁ πολίτης ὁ σὸς Ὅμηρος', 25 ,ἐπὶ μέν γε τοῦ Ἀγαμέμνονος ὅρα ὅσην αὐτὸς (i. e. Ὅμηρος) φειδὼ ἐποιήσατο τῶν θεῶν, καὶ ὡς ἐταμιεύσατο τὰς εἰκόνας ἐς τὸ σύμμετρον, ὃς ὄμματα μέν φησι (Il. II 478, 479) καὶ κεφαλὴν ἴκελον αὐτὸν εἶναι τῷ Διί, τῷ Ἄρει δὲ τὴν ζώνην, στέρνον δὲ τῷ Ποσειδῶνι, διαιρῶν τὸν ἄνθρωπον κατὰ μέλη πρὸς τοσούτων θεῶν εἰκόνας'.

Horat. a. p. 9, 10: ‚Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas', Luc. pro imag. 18 ‚παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνευθύνους εἶναι καὶ ποιητὰς καὶ γραφέας'. His locis omnem vim detrahunt Diphilus apud Athen. VI, 1: ‚ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία ἐστὶν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις', Aristot. Metaph. 1, 2 ‚κατὰ τὴν παροιμίαν, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί' [1]), Plato de republ. II 17 sq.

Horat. epod. XVI, 21: ‚Ire, pedes quocumque ferent', carm. III, 11, 49: ‚I, pedes quo te rapiunt et aurae', Luc. Hermot. 28 ‚ἰέναι ἔνθα ἂν ἡμᾶς οἱ πόδες φέρωσι'. Confer similes locos ab editoribus inprimis Lambino et Mitscherlichio adnotatos: jam etiam hos locos nullius momenti esse intelleges.

Horat. carm. III 24, 42, 43: ‚pauperies . . jubet Quidvis et facere et pati', Luc. apolog. pro merc. cond. 10 ‚τὴν πενίαν πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν ἀναπείθουσαν'. Atque sententia quidem illa ‚paupertas quidvis imperat' frequens est, ut occurrit etiam apud Timoclem, Stob. flor. (ed. Gaisf.) III 96, 22: ‚πολλοὺς γὰρ ἐνίοθ' ἡ πενία βιάζεται ἀνάξι' αὑτῶν ἔργα παρὰ φύσιν ποιεῖν' et apud Philemonem ‚ἡ γὰρ σπάνις πρόχειρος εἰς τὸ δρᾶν κακά' [2]). Eam igitur sententiam quod Horatius in hanc formam redegit ‚paupertas jubet omnia et facere et pati', morem [3]) apud poetas oratoresque late patentem secutus est, cum oppositione aliqua adhibita simplicem sententiam in duas partes distribueret. Itaque ne haec quidem similitudo quidquam valet.

---

[1]) convenit cum hoc loco Luc. Hermot. 72 ‚ὅ γε νῦν ἔπραττες καὶ ἐπενόεις, οὐδὲν τῶν ἱπποκενταύρων καὶ χιμαιρῶν καὶ γοργόνων διαφέρει, καὶ ὅσα ἄλλα ὄνειροι καὶ ποιηταὶ καὶ γραφεῖς ἐλεύθεροι ὄντες ἀναπλάττουσιν οὔτε γενόμενα πώποτε οὔτε γενέσθαι δυνάμενα'.

[2]) cfr. etiam Hor. ep. II 2, 51 ‚paupertas impulit audax ut. . .' et Schmidi adn. et Mitscherl. adn. ad carm. III 24, 42.

[3]) comprobatus est multis exemplis, quorum nonnulla Mitscherl. ad l. Horat., quem tractamus, et Pricaeus ad Apul. Met. IX p. 189 adnotant. Lucianus huius consuetudinis exempla in apolog. pro merc. cond. 4 ‚μυρία τὰ δυσχερῆ πάσχων καὶ ποιῶν', in cynic. 10 ‚τί δὲ δεῖ λέγειν ὅσα τῶν ἀφροδισίων ἕνεκα πράγματα ποιοῦσί τε καὶ πάσχουσιν οἱ ἄνθρωποι' dat.

Horat. carm. III 16, 1—11: ‚Inclusam Danaen turris ahenea Robustaeque fores et vigilum canum Tristes excubiae munierant satis Nocturnis ab adulteris, Si non Acrisium virginis abditae Custodem pavidum Juppiter et Venus Risissent: fore enim tutum iter et patens Converso in pretium deo. Aurum per medios ire satellites Et perrumpere amat saxa potentius Ictu fulmineo‘, Luc. gall. 13 ‚ὁ δὲ πάντων θεῶν πατὴρ καὶ ἀνδρῶν, ὁ Κρόνου καὶ Ῥέας, ὅποτε ἠράσθη τῆς Ἀργολικῆς ἐκείνης μείρακος, οὐκ ἔχων ἐς ὅ τι ἐρασμιώτερον αὑτὸν μεταβάλοι, οὐδὲ ὅπως ἂν διαφθείρειε τοῦ Ἀκρισίου τὴν φρουράν, ἀκούεις δή που ὡς χρυσίον ἐγένετο καὶ ῥυεὶς διὰ τοῦ τέγους συνῆν τῇ ἀγαπωμένῃ‘. Addit A. Heinrichius, sane in ultimo capite 14 eum versum afferri, qui teste Stobaeo [1]) ex Euripidis fabula, quae inscribitur Danae, sumptus esse videatur. Atque ut primum de hoc versu ‚ὦ χρυσέ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς‘ dicam, revera ex Euripidis Danae eum sumptum esse comprobant Dindorfius [2]), Nauckius [3]), F. Fritzschius [4]), qui Stobaeo maiorem fidem tribuunt quam Senecae [5]), qui ex Bellerophonte Euripidis eum affert. Neque tamen propterea quod hic versus ex Euripidis Danae petitus est, tota apud Lucianum fabula inde fluxisse putanda est, sed vulgari modo, qualem Apollodorus [6]) et Hyginus [7]) fabulam exhibent, non certi scriptoris exemplo eum rem narrasse ipsius eius verba ‚ἀκούεις ἤδη που‘ indicant. Ergo neque Menippi Lucianus hic recordatus est, neque habemus, cur Horatio Menippum ante oculos versatum esse dicamus. At mirum, quod ut Lucianus ita Horatius hanc fabulam ad illustrandum illud ‚auro cedunt omnia‘ adhibet. Mihi quidem ne huic quidem rei quidquam tribuendum esse videtur; nam, cum fabulas exempli causa afferre constituisset, in hanc quoque eum incidere necesse fuit.

Horat. sat. II 2, 70—72: ‚Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum Adferat. In primis valeas bene: nam variae res Ut noceant homini credas‘, Luc. gall. 23 ‚ὥςτε

---

[1]) XCI, 4, vol. III ed. Gaisf. p. 217. [2]) poet. scen. ἀποσπασμάτια p. 90, Danaes frg. XIV. [3]) trag. Gr. frg. p. 363. [4]) edit. Luc. adn. a. h. l. I 1 p. 126. [5]) epist. CXV. [6]) II 4, 1. [7]) fab. 63.

διὰ ταῦτα ὑγιαίνεις τε καὶ ἔῤῥωσαι τὸ σῶμα... οἱ δὲ ὑπ' ἀκρασίας ἄθλιοι τί τῶν κακῶν οὐκ ἔχουσι;' Ne haec quidem similitudo singulare quidquam habet; nam Horatius, cum modicum victum prae luxurioso commendaret, ita quoque eum commendare debebat, ut validos eum homines reddere moneret. Cfr. etiam similes locos apud Theognidem 605—606 ‚*Πολλῷ τοι πλέονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἤδη ἄνδρας, ὅσοι μοίρης πλεῖον ἔχειν ἔθελον*', Aristotel. problemat. *ά* 15, Cic. Tusc. V, 34, 99, 100, Diog. L. X 1, 131.

Hor. ep. I, 18, 7: ‚tonsa cute', Luc. bis accus. 20 ‚*ἐν χρῷ κέκαρμαι*'. Stoicos vel eos, qui Stoicorum speciem affectabant, verbis ‚tonsa cute' Horatius hic describit; hoc autem a certo quodam auctore eum sumpsisse ideo opinari non licet, quia poetae omnes comici et satirici ita dicere solent. Morem Stoicorum capillos tondendi etiam Juvenalis 2, 15 ‚Atque supercilio brevior coma' et Lucianus vit. auct. 20, fugit. 27, Hermot. 18 alii notant.

Horat. sat. I, 5, 16: ‚Multa prolutus vappa', cfr. etiam sat. II, 4, 26, Luc. Dial. deor. XXIII 2 ‚*ἱκανῶς ὑποβεβρεγμένοι*', cfr. etiam gall. 8, asin. 51, Philopatr. 4, Icaromen. 27. Cum et apud Graecos ‚*ὑποβεβρεγμένος*' pro ‚aliquantulum appotus' Eurip. Electr. 326, Plut. moral. p. 152 D, Poll. VI 25, Heliod. V. p. 255, Long. II p. 60 et apud Romanos ‚se proluere' pro ‚bibere' et ‚potare' vulgari in usu fuisse Plaut. Curc. I 2, 28, Verg. Aen. I, 739, Pers. prolog. 1 demonstrent, non est, cur de ulla imitatione cogitemus.

Quoniam iam eas quoque similitudines, quas Heinrichius attulit, perlustravimus, ne harum quidem in numero ullam esse judicare licet, quae ad Menippum jure referatur. Itaque ipsas Horati saturas cum Luciano et Varronis saturis Menippeis comparatas nihil ad stabiliendam suspicionem illam, Horatium usum esse Menippo, conferre elucet.

Sed jam, ut breviter comprehendamus, quae dissertatione ad finem perducta comprobavimus, in memoriam revocemus, quam viam secuti simus. Primum igitur Menippi vitam et scribendi genus adumbravimus. Deinde in universum quae ratio inter Horatium et scriptores Graecos intercederet, expli-

cavimus. Qua re etsi probatum erat, Horatium Menippo uti non potuisse, tamen certum judicium non pronuntiavimus. Tertia igitur parte ipsa opera inter se comparata sunt, Horati et — non Menippi quidem, ex cuius libris pauca fragmenta supersunt, sed Luciani Varronisque saturae Menippeae, qui illum secuti, paene soli paulo plura de eo suppeditant. Atque similitudines satis multae indagatae sunt, quae tamen cur ad Menippum revocentur, cum unaquaque alio modo explicari possit, non est. Itaque nos non habere, cur Menippum exemplo fuisse Horatio dicamus, statuendum est et hac in re acquiescendum; nam ne magnus quidem numerus similitudinum quidquam valet, quoniam ipsi scriptores et eiusdem paene indolis atque naturae fuerunt et simile scribendi genus coluerunt.

VITA.

Natus sum Carolus Ernestus Godofredus Rowe ante diem VIII. Calend. Septembris a. h. s. LXIII Stetini patre Hermanno, musicae praeceptore, matre Ottilia e gente Puhlmann, quos adhuc superstites esse quam maxime gaudeo; fidei addictus sum evangelicae. Urbis patriae gymnasii Mariae disciplina per decem annos usus autumno anni LXXXII maturitatis testimonio instructus, ut philologiae operam darem, primum universitatem Berolinensem adii. Tribus semestribus post Gottingam me contuli, ubi sex menses commoratus sum. Tum Halas Saxonum migravi, ubi per quattuor semestria civis academicus fui.

Docuerunt me viri clarissimi Kirchhoff, Hübner, Paulsen, Roediger, Vahlen, Maass, Zeller, de Treitschke, Kiepert Berolinenses; Sauppe, Peipers, de Wilamowitz-Moellendorff, de Leutsch, Goedeke, Heyne, Dilthey Gottingenses; Keil, Zacher, Gosche, Dittenberger, Hiller, Heydemann, Vaihinger, Haym, Gering, Uphues, Burdach Halenses. Seminarii philologici exercitationibus ut interessem per sex menses Sauppe et Dilthey, per quater sex menses Keil, Hiller, Dittenberger benignissime mihi permiserunt; societatibus, quas instituere solebant, Zacher, Gering, Uphues, Burdach me admiserunt.

Inde a Calendis Juliis munere signatoris universitatis Halensis bibliothecae fungor.

Omnibus autem viris, qui me docuerunt, imprimis Keilio et Hillero, gratiam semper habebo quam maximam.

DE PERSONIS HORATIANIS

CAPITA TRIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

SIEGFRIEDUS JAFFE

POSNANIENSIS

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXX

BEROLINI

[illegible]

PARENTIBUS DILECTISSIMIS.

M. GOTTHELF,

AVUNCULO BENIGNO.

Caput I.

De fontibus prosopographiae Horatianae.

§ 1. Quid prosopographiae Horatianae nomine significaturus et qua via quaque ratione argumentum tractaturus sim, primo loco exponendum mihi esse censeo. Itaque, ut breviter dicam, personas quasdam, quarum nomina in Horatii carminibus inveniuntur, accurate describere veraque, quae sive ex Horatio sive ex aliis scriptoribus de illis colligi possunt, a falsis secernere mihi est propositum. Qua disquisitione, ut poëtae carminum vim et naturam melius cognoscamus, saepius, nisi fallor, assequemur.

Ad cognitionem igitur quodammodo bonam probamque personarum Horatianarum adipiscendam semel atque iterum ac saepius legisse poëtam[1]) non est satis, sed etiam in commentariis et veterum et recentium omnem operam consumpsisse necesse habemus. Qua in re inde oriuntur magnae difficultates, quod in veteribus commentariis Horatianis, ut in aliis multis eiusmodi libris, non pauca falsa ficta corrupta nunc leguntur, ita ut cautione maxima sit opus. Neque minus recentes interpretes per errorem lapsi sunt, qui „sibi placuerunt in describendis personis Horatianis, quasi praesentes intuerentur praesentes easque intus et in cute, ut aiunt, cognovissent[2])". Praeterea prosopographo ne ea quidem sunt neglegenda, quae apud veteres rerum scriptores, maxime apud Ciceronem, Persium, Juvenalem eorumque scholiastas, passim dispersa in vulgaribus commentariis non inveniuntur quaeque utilia videntur esse ad meliorem locorum intellegentiam.

---

1) utor plerumque editione Hauptiana-Vahleniana (IV), Lipsiae, 1881.
2) cfr. Estré, prosopographeia Horatiana. Amstel. 1846. praef. p. VII.

§ 2. His, quae dixi, pro fundamento usi ad scholia Horatiana propius nunc accedamus atque primum in universum perquiramus, quid veri nobis praebeant; qua ex disputatione, qui qualesque veterrimi de personis Horatianis fontes fuerint, intellegemus, et quo modo usque ad memoriam nostram propagati sint.

Interpretes igitur Horatiani, ut ex codicibus apparet, fuerunt ex vetustissimis[1]: Modestus, Q. Terentius Scaurus[2], Helenius Acro[3], Porphyrio; fortasse etiam C. Aemilius[1], M. Valerius Probus, Claranus[4]. Sed Probi, Aemilii, Modesti, Scauri, Clarani scripta penitus interierunt, nisi forte quae adnotatiunculae, cum uno loco plures atque inter se diversae explicationes saepe legantur, in commentariis nobis servatis latent.

Duo commentarii antiquitus traduntur memoriae, Pomponii Porphyrionis alter, alter Helenii Acronis. Cum Porphyrio post Suetonium[5] atque ante Julium Romanum, grammaticum saeculi p. Chr. n. tertii, a Charisio[6] expilatum, vixerit, omnino non est, quod dubitemus, quin scholiastes ille conscripserit de Horatio commentarios exeunte altero vel ineunte tertio p. Chr. n. saeculo. Cuius in verbis constituendis G. Meyerus[7] recte nititur codice Monacensi (scl. X); hunc enim compluresque exeunte medio aevo scriptos exhibere ille ait exceptis scribentium erroribus unum atque idem corpus commentariorum. Quos cum inter se optime consentiant, tum

1) Commentati sunt in illum Porphyrion, Modestus, Helenius Acron; optime omnium C. Aemilius: ed. Basil. — Commentati in illum sunt Porphyrion Modestus et Helenius Acron omnibus melius. Acron. cod. Paris 7975 et Cruq. M. p. V.

2) cfr. Porph. comm. ad s. II, 5, 92; Charis. p. 202, 28; 210, 21. K.

3) cfr. Porph. comm. ad s. I, 8, 25.

4) cfr. Porph. comm. ad s. II, 3, 83 et ad hunc locum O. Jahn. (in Mus. Rhen. nov. IX, p. 626), qui cum Osanno (Beitr. II. p. 329) censet in Servii comm. ad Virg. Aeneid. XI, 316 pro: „quod etiam Clanarius dicit" „Claranus" legendum esse, itemque apud Porph. ex Helenio recte a Fabricio Claranum factum esse, id quod etiam cod. Puteol. praebeat.

5) cfr. Porph. ad epist. II, 1, 1.

6) cfr. p. 220. 28, K.: „ut Porphyrio ex Verrio et Festo".

7) Pomponii Porphyrionis comm. in Q. Horatium Flaccum, Lipsiae, 1874, (in praef. p. V sq.); ex huius libri notis sub textu positis, quidquid antiquitus traditur, perfacile cognoscimus.

convenire disciplinae atque doctrinae Porphyrionis, cuius nomen codicibus illis sit inscriptum.

In codice autem Monacensi etiam multa depravata esse Meyerus, cum cognoverit, ex compluribus signis apparere dicit commentarios Porphyrionis prius in margine carminum Horatii positos multo post ab imprudenti homine separatos esse, eique astipulatur Kiesslingius[1], cum affirmat: „quod hodie legimus Porphyrionis commentum id postquam compage luxata singulis deinceps versibus in margine codicis alicuius Horatiani adscriptum fuit, hinc demum paullo ante saeculum nonum[2]) resarcinatum est, quapropter ob aliquot foliorum archetypi defectum tota explanatio serm. II, 3, 103—141 et II, 6, 72—117 amissa est."

Multo etiam minoris momenti est commentarius alter Horatianus, nam scholia, quae Acronis[3]) nomine circumferuntur, omnium fere, qui nunc sunt, virorum doctorum consensu „pseudoacroniana" habentur. Scriptorem huius scholiorum congeriei pravissime confundi cum grammatico probatissimo, qui quidem certe de Horatio scripsit[4]), Antoninorum aetati a Schottmuellero[5]) ratione satis certa adscripto, iamdudum est intellectum. Huc accedit, quod per Hauthalium[6]) edocti sumus in codicibus saec. XV vetustioribus neque Acronis neque ullius grammatici nomen praefixum esse. Quid? quod Acronis quae habere consuevimus in uno tantum codice (7975 γ) comparere integra videntur? Huius igitur nomen a docto quodam Italo exeunte medio aevo scholiis illis inscriptum esse ex auctoritate notissimi illius loci, quem supra posui[7]), et Usenerus[8]) affirmat et Meyerus.

Commentarii pseudoacroniani cum aliquanto fortasse post Porphyrionis commentarios in talem formam sint redacti,

---

1) in commentatione de personis Horatianis, Gryphisw., 1880, ind. lect. Sem. Aest., p. 6.

2) vel potius decimum addo.

3) ad editiones a Pauly (Pragae, 1858) et ab Hauthalio (Berol. 1864—66) factas descendere coactus fui.

4) cfr. Porph. ad s. I. 8. 25.

5) cfr. de Plinii Secundi libris gramm. I. p. 32.

6) cfr. edit. schol. Horat. praefat.

7) cfr. p. 2, not. 1.

8) cfr. de scholiis Horat. comm., Bern. ind. lect., 1863.

qualem nunc habent, etiam magis quam huius grammatici corrupti atque variorum temporum interpolationibus aucti sunt. Utrum autem unus auctor, an duo sint statuendi, in hac quaestione diiudicanda in diversas abeunt partes viri docti, velut Kellerus[1]) et Kiesslingius[2]).

Atque ille quidem duos illorum scholiorum auctores esse ratus Pseudoacronem maiorem alterum, alterum Fabium Planciadem Fulgentium nominat. Huic viro docto Pseudoacro duobus circiter saeculis post Porphyrionem scripsisse videtur, id est initio quinti p. Chr. n. saeculi, quaenm coniectura rationem scribendi tum usitatam perbene censet congruere. Sive igitur, pergit Kellerus, morte auctor est impeditus, quominus „expositionem in Horatium"[3]) ad finem perduceret, sive casu quodam iniquo pars adnotationum periit, id constat initio epodi quinti decimi Pseudoacronis verborum continuationem repente abrumpi. Haec scholia sub Acronis nomine tradita, quamquam magnam partem sunt excerpta et compilata, tamen, si quis Horatii carmina penitus perspicere velit, non sunt neglegenda, in quibus, quales apud Porphyrionem non exstant, inveniantur adnotationes.

Virtutibus autem Pseudoacronis auctorem partium recentium, quem Fulgentii nomine appellare viro docto libet, adductum esse opinatur, ut illius commentariis usque ad initium quarti carminum libri denuo descriptis sua propria proferret. Contra hanc opinionem multi disputaverunt[4]).

Kiesslingius porro, quid de hac quaestione sentiat, paucis verbis exprimit hoc modo[5]): „Non dubito, quin ad certum auctorem referenda sit scholiorum pseudoacronianorum compilatio, cuius per lyrica vetustissimum et, si dis placet, integerrimum exemplum „expositio in Horatium" praebet margini codicis 7900 a adscripta. Haec compilatio quam variis modis vel breviata vel dilatata vel cum Porphyrionis commento denuo contaminata ita, ut primaria eius forma prorsus paene obscurata sit, in libris propagetur, abunde docent, quae Usenerus

1) in symbolis philol. Bonnens., p. 499–502.
2) l. l., p. 6.
3) qui titulus codicis Parisini 7900 a margini adscriptus est.
4) cfr. M. Petschenig, dissertat. de schol. Horat., Klagenfurt. 1872.
5) l. l., p. 6, adnot. 6.

meus protulit exempla. Attamen semper unius grammatici opellam quantumvis transformatam agnoscere posse mihi videor."

Atque mea quidem sententia scholia Pseudoacroniana, quae nunc feruntur, non ab uno eodemque profecta sunt. Immo cum saepissime ad eundem versum inter se diversae et contrariae exstent explicationes, apparet hanc scholiorum molem coacervavisse duos pluresve compilatores, quorum alter quinto[1]) fortasse p. Chr. n. saeculo, alter sexto vel septimo vixit. Similiter indicat Usenerus[2]), cum dicit quem vulgo Acronem appellamus, nihil esse nisi unum e multis exemplaribus, quae omnia ex farragine ducta sint, quam Bedae[3]) aut summum Alcuini[4]) temporibus magister mediocriter doctus cum ex codicibus aliquot tum suo abusus iudicio collegerit.

Accedit denique ad superiora, quod a Jacobi Cruquii[5]) commentatore nonnulla servata sunt scholia, quae non omnino neglegere nobis licet. Nam quamquam luce iam clarius enucleatum est Cruquium in exscribendis excerpendisque codicibus et editionibus veteribus tanta neglegentia et socordia fuisse, ut Blandiniorum quoque codicum lectiones variaverit atque cum propriis suis aliorumque, ut Lambini, additamentis interpolaverit, tamen, cum Porphyrionis scholia inde ab altero satirarum libro breviora rarioraque fiant atque desint ex parte[6]), tum Pseudoacroniana etiam magis corrupta et conflata sint, commentatorem Cruquianum contemnere ita non debemus, ut contra ex confusione illa veri falsique summa scilicet cum diligentia, quae speciem probabilitatis habeant, in usum nostrum conferamus.

§ 3. In scholiis diutius commoratus sum, ut fundamento satis certo iacto, quae de illis in universum intelleximus, nunc ad adnotationes prosopographicas transferamus. Atque in hac re valde difficili et perobscura Kiesslingii commentatione illa doctissima, quae inscribitur „de personis Horatianis"[7]),

---

1) cfr. Theotisti memoriam ad s. I. 5, 97.
2) l. l., p. 7.
3) † 753.
4) † 804.
5) habui in promptu editionem a. 1578.
6) cfr. ad s. II, 3, 103 - 141 et ad s. II. 6. 72 - 117.
7) cfr. de hoc libro Mewesium, in Z. f. G. 1883, Ber. d. phil. Ver., p. 176 sq.

adiutum me esse singulariter ingenue professus, quae mihi dubia videntur esse, ratione et diligentia adhibita reicere conor meamque proferre sententiam.

Initio commentationis, quae est de origine et fide adnotationum ad personas spectantium apud scholiastas, scholio illo de Sarmento ad Juvenalis sat. V. 3 ex Pithoeano Sangallensique libro exscripto Kiesslingius demonstrat, quae afferantur, non ad hunc locum pertinere, sed potius ad Horatii s. I, 5, ubi Sarmentus et Messius Cicirrus scurrae inter se litigant, neque sine causa affirmat illam adnotationem aliqua ratione cum Horatianorum sermonum interpretatione fuisse coniunctam. Cum vero Sarmentus ante annum u. 716[1]) Maecenati ad manus esset, fieri non potuit, ut idem Sarmentus scurra circa a. 721 inter Caesaris Octaviani *παιγνίων παιδάρια, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσιν*[2]). commemoraretur. Itaque statuendi sunt Sarmenti duo, atque scholium Juvenalianum ad explicandam Horatii satiram I. 5 pertinet. Ad s. I, 5, 51 etiam nunc apud Porphyrionem parvae reliquiae ex uberiore fonte sumptae exstant.

Porphyrionis scholiorum fontes indagaturus adnotationibus illis, quae nil nisi verba poëtae amplificata reddunt, exclusis haec scholia ex Suetonio fluxisse opinatur: ad s. I, 8, 39, II, 2, 50, II, 3, 239, I, 7, 19. Etiamsi autem confitendum est in illis scholiis simili modo hominum quorundam infimorum memoriam paucis versibus illustratam servari, atque in Pseudoacroniana congerie ad s. I. 7, 19 comparere nomen Suetonii Tranquilli, qui hominum vitas flosculis eiusmodi distinguere solitus sit, tamen pro certo illa habere, quod ne Kiesslingius quidem vult[3]), eo minus licet, quod cum nullo horum locorum apud Porphyrionem Suetonius auctor nominatur, tum multi post Horatium interpretes et grammatici. id quod scimus[4]), similia collegerunt. Atque quod Kiesslingius opinatur apud Porphyrionem ad s. I, 7, 19 Suetonii nomen hiatu illo in fine adnotationis una cum epigrammatis verbis haustum esse, valde dubium mihi est scholium ad s. II. 2, 50 respicienti, ubi epi-

1) in itinere Brundisino, cfr. s. I, 5.
2) cfr. Plut. Anton., cap. 59.
3) cfr. l. l., p. 6. exeuntem.
4) cfr. eos, qui de personis Horatianis scripserunt: p. 8.

gramma servatum est totum, non adest nomen Suetonii. Nonnulla scilicet, quae nunc apud scholiastas habemus, ex Suetonio sumpta esse facile concedo.

In iis vero, quae sequuntur, vir ille doctus a prioribus dissentit. Nam Porphyrionis exemplar, quod nunc praesto est, ab interpolatore quodam mutatum partimque diminutum esse ratus, quae sententia recte sese habet[1]), Suetonii memoriam integriori Porphyrionis libro imputat. Tum[2]) harum ratiocinationum speciem cum fallacem esse indicaverit, Suetonii testimonium post Porphyrionem demum a scholiorum compilatore primario accitum esse opinatur. At quo iure haec cum prioribus coniunguntur?

Illud ultimum ut comprobet Kiesslingius, de auxiliis, quibus ille homo utebatur ad exilem suam doctrinam locupletandam, aliunde ex mythographico quodam et ex lexicographorum grammaticorumque copiis eum multa petivisse ostendit: Juvenalis etiam, Virgilii, Lucani, Statii opera cum scholiis legisse. Huc accedit, quod reperiuntur ad A. P. 203 et 288 in scholiis Pseudoacronianis vera, cum apud Porphyrionem falsa exstent, vel nihil, atque ad A. P. 354 et 417 ipsum nomen Suetonii legitur. Neque tamen his probatur a Porphyrione ex Suetonio nihil haustum esse nisi vitam Horatii iam tunc temporis poëtae exemplaribus praemissam[3]): nam compilatorum incuria multa esse exstincta quis est qui nesciat?

Contra hanc opinionem Porphyrionem priores scholiastas vel grammaticos atque scriptores legisse neque minus quam alios scholiastas Suetonii opera novisse equidem existimo. Quod Suetonius apud Porphyrionem semel, ad ep. II, 1, 1. laudatur, mirum non erit, cum viderimus saepius quidem poëtarum et ex ceteris scriptoribus Ciceronis unius, Varronis autem quinquies, ad epod. 16, 13, s. I, 8, 48, II, 4, 1, II, 8, 15, epist. I, 3, 1, Livii ter, ad c. I, 37, 30, epod. 16, 1, s. I, 5, 27, Scauri semel, ad s. II, 5, 92, Clarani, ad s. II, 3, 83, Acronis ad s. I, 8, 25 mentionem eum fecisse. Iam si concludere licet Porphyrionem scholiasten grammaticos et rerum

---

[1]) cfr. scholium Porphyrionis ad s. I, 9, 22, ubi est: „de Visco infra dicetur", neque tamen quidquam sequitur, contra apud Pseudoacronem ad s. I, 10, 83.

[2]) cfr. l. l., p. 6 exeuntem

[3]) l. l., p. 8.

scriptores eosque fortasse ipsos, qui item de Horatio scripserunt, raro nominatim afferre. certe verbis illis: putant, legitur, legunt, fertur, dicitur, nonnulli, sc. exempli gratia grammaticorum veterum[1], alii, qui de personis Horatianis scripserunt, etc. demonstrari mihi videtur Porphyrionem nomina auctorum consulto tacere, vel, si quem laudet, in universum exprimere malle.

Kiesslingius autem alium indagare studet fontem[2]), ex quo docta illa de personis Horatianis excerpta in Porphyrionem derivata esse possint. Porphyrionis igitur scholium ad s. I, 3, 21, quod iis, „qui de personis Horatianis scripserunt," debetur, propter aequabilitatem argumenti et tractationis ex eodem vel simili fonte, atque illa supra allata fluxisse censet, quae coniectura probabilis est. Cum vero alter locus, ad s. I. 3, 90, diversa tractatione item tribuatur, qui de personis Horatianis scripserunt, duplicem fontem fuisse significat. quam sententiam confirmari opinatur scholiis ad s. I, 1, 105, ubi est: ut quidam aiunt — ut nonnulli, et ad epist. I. 18, 19, ubi legitur: ut alii dicunt — ut alii. Accuratius, quid de significatione illa „qui de personis Horatianis scripserunt" secum agitet, non explanat.

Atque nonnulli quidem libellum quendam intellegendum esse censent, in quo de personis Horatianis omnia vel plurima testimonia fuerint, alii duos eiusmodi libellos ponunt. Difficillimum autem esse rati auctorem vel auctores talium adnotationum, cum apud Porphyrionem perraro nomina inveniantur, satis probabiliter cognoscere, contenti erimus, quod scholia prosopographica apud hunc scholiasten servata habemus, atque dicemus verisimile esse ex primo p. Chr. n. saeculo Horatii carmina ab interpretibus et grammaticis exposita esse, modo singula, modo universa, posterioresque priorum adnotationes usurpasse. Item eos, qui de personis Horatianis scripserunt, nullos nisi Horatii interpretes, a quibus eiusmodi de personis Horatianis narratiunculae colligebantur, recte intellegere mihi videor.

Neque facio cum Kiesslingio, qui alio loco[3]) horum scho-

[1]) cfr. ad s. I, 3, 1.

[2]) l. l., p. 8, med.

[3]) cfr. „de Horat. carm. inscriptionibus", ind. lect. Gryph. 1876, S. Aest., p. 4.

liastarum commentarios propter insulsam sapientiam minimi facit. Profecto concedendum est in duobus Porphyrionis locis, ad s. I, 3, 21 et 90, ubi afferuntur, qui de personis Horatianis scripserunt, quaedam nunc corrupta esse[1], ex quibus tamen veri aliquid elici potest, atque mea quidem sententia casu factum est, ut his locis solis illi commemorentur, quibus dubito an alia nonnulla et meliora debeamus.

Atque ut summam opinionis meae faciam, Suetonio Helenius Acro[2] et Porphyrio usi sunt. A Porphyrione autem Claranum[3], Modestum, Verrium Festumque[4]) etc. inspectos esse maximeque Helenium Acronem aeque perspicuum est ac Porphyrionis commentarios posteris grammaticis, ut Julio Romano, Charisio[4], etc. notos fuisse.

Certiore igitur iam coniectura Helenii Acronis commentariis Horatianis imputare, quidquid de personis Horatianis apud Porphyrionem boni probique legitur, magis ingeniosum, quam causis bonis et iustis stabilitum mihi esse videtur. Nam, quod Helenii Acronis nomen comparet et apud Porphyrionem ad s. I, 8, 25, et in scholiis Persianis ad s. II, 56, ex quibus commentariis[5] Kiesslingius suspicatur Cruquium ad A. P. 301 interpolavisse adnotationem, illa sententia non satis defenditur, ad quam sententiam fulciendam probabiliores causas proferri necesse est, quod quidem propter corruptam commentarii condicionem impeditur summis difficultatibus. Quamobrem in eo, quod proposui, persistendum est.

§ 4. Scripsit prosopographeiam Horatianam universalem J. G. F. Estré[6], cuius in librum magna cum cura multoque labore inquisivit Duentzerus[7]. Hunc virum doctum non omnibus quidem in partibus sequor, probo tamen, quod dicit, opusculo Estréiano multa diligenter congesta, neque vero cogni-

---

[1]) cfr. infra.

[2]) cfr. schol. Pseudoacr. ad s. I, 7, 20.

[3]) nescio an etiam hi grammatici et interpretes habendi sint numero eorum, qui de personis Horat. scripserunt.

[4]) Charis., p. 220, 28. K.

[5]) cfr. schol. Pers. ad s. II, 36, quod adeo respondet aequabilitate tractationis scholiis illis p. 7 med. allatis, ut Kiesslingio ex fonte persimili fluxisse videatur.

[6]) Amstelodami, 1846, prodiit.

[7]) in Z. f. d. Altertumsw., 1851, p. 25—59.

tionem personarum Horatianarum valde amplificatam esse. Nam, ut in universum hoc loco vitia illius libri attingam, auctor liberius audaciusque Peerlkampii magistri modo coniectura mutavit multos locos et interpolatos iudicavit[1]). Quae deinde profert Estré de scholiorum Horatianorum origine et natura atque indole[2]) plane confusa et falsa sunt, quae confusio excusari fortasse potest, quod postea demum a viris doctis exploratum est, quam auctoritatem habeant illa scholia et qua via composita sint. Mirabilem in modum cum Kiesslingio Helenium Acronem auctorem esse prosopographiae Horatianae opinatur[3]), nulla alia scilicet causa adductus, nisi quia, quae nunc Pseudoacroniana scholia appellamus, etiamsi valde lacera sint et mutila, tamen ab Acrone profecta esse censet. Id unum etiam commemoro hunc prosopographum in multis iisque ipsis personis describendis, de quibus magnae motae sunt controversiae inde ab antiquis temporibus, parum diligenter versari neque pertractare aliorum iudicia, nedum, de illis quid sentiat ipse, studiose exponat, ut facit in Maenio[4]) et in Nomentano[4]).

Maioris autem momenti et ponderis est Kiesslingii de personis Horatianis commentatio, qua prosopographiae Horatianae fundamenta, quae quidem scholiis contineantur, magna cum doctrina, cura, diligentia ponere conatus est, atque profiteor maximum me percepisse fructum ex commentariolo illo iterum et saepius lecto. Quia enim Kiesslingius omnia, quae ad originem adnotationum prosopographicarum pertinent, in unum congessit, fit, ut quomodo scholia illa nata compilata propagata quantique aestimanda sint, aliquo modo diiudicari possit.

Inde a p. 10 usque ad p. 14 Kiesslingius horum scriptorum frustula omissis scholiorum interpolamentis composuit, ex satirarum et epistularum libris quadraginta tria scholia.

Ex iis denique, qui singulas personas Horatianas obiter in disputationibus suis tetigerunt, vel tractaverunt, iam hoc loco nominandi sunt M. A. Weichertus in „poëtarum latinorum

1) cfr. Duentz. l. l., p. 25—35.
2) l. l, praef., p. 1—7.
3) l. l., p. 2 exeunte.
4) cfr. l. l., p. 555 et 557.

reliquiis", Lipsiae, 1830, cuius libro maximo cum commodo sum usus; Kirchnerus in „quaestionibus Horatianis" Numburgi, 1834; Duentzerus in „Kritik und Erklärung der horazischen Gedichte", Brunsvigiae, 1841—45.

§ 5. In extrema huius capitis parte, utrum apud Horatium nulla nisi vera nomina reperiantur, an etiam ficta et significantia, ut ita dicam, exponam. In universum quidem Szelinskio[1]) astipulor, qui in Horatii carminibus agnoscit personas, quae ficto nomine notatae sunt, et quae certum quoddam genus significant.

Ut prius genus exemplis confirmemus, cum a scholiastarum testimoniis proficiscendum est, quae quidem cum cautione accipienda sunt, tum ab Apulei illo loco in Apologia: „Eadem igitur opera accusent Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, et Ticidam similiter, quod, quae[2]) Metella erat, Perillam scripserit, et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet, et Tibullum, quod ei sit Plania[3]) in animo, Delia in versu." De Horatio nihil auctor ille prodidit, sed nonne etiam hunc nomina eodem numero eademque quantitate mutasse conicere licet? Cautione igitur summa usi, quam etiam Buttmannus[4]) commendat cum Madvigio,[5]) nihil in satira romana agi fictis nominibus, sed veris notisque personis rati personas amatorias nomine sive graeco sive romano maximam partem fictas et pro vero peregrinum, sed usitatum nomen positum esse contendimus, nominatimque in hac habemus classe Licymniam pro Terentia positam et Canidiam pro Gratidia.

Atque in altera classe Laevinis, Deciis, Appiis: Syri, Damae, Dionysi filio: Judaeo Appella etc. positis[6]) Horatium petivisse nomina ex historia notissima aut in vita communi ordinis cuiusdam propria, ita ut pro appellativo proprium nomen poneret, Szelinskius luce clarius ostendit. Discedo autem

---

1) de nominibus personarum cum veris tum fictis et significantibus apud poëtas satirae rom., Regimonti Boruss., 1862, p. 16.

2) cfr. etiam Ovid. Trist., l. II. v. 433 sq.

3) alii codices habent: „Flavia", „Plautia".

4) Ueber das Geschichtliche und die Anspielungen im Horaz in Mythol., vol. I, p. 297 sq., Berol. 1828.

5) in opusc. acad., vol. I, p. 68, Hauniae, 1834.

6) l. l., p. 29.

in eo, quod Nomentanum, Maenium, Pantolabum personas Lucilianas esse opinatus Horatium notissima illa ex Lucilio nomina hominum perditorum in usum suum contulisse credo ad certos mores perstringendos et θειχόν genus hic agnoscendum esse, sed ita, ut omnibus locis Horatianis non solum de eorum, qui Horatii temporibus fuerunt Nomentani, vitiis admoneamur, sed etiam praecipue ad auctorem Nomentanorum generis, qui fuit Lucilii aequalis, respicere debeamus.

Ad postremum improbo eorum sententiam, qui nomina satirica per etymologiam interpretati sunt, quod talibus nugis cum acumine et argutiis frustra se dederunt, velut Obbarius[1]) fecit, cuius sapientiam et acutas nares ut demonstrem, haec pauca ex disputatione illius exscribo: „Pauper Opimius (s, II, 3, 142) ist eine so komische Zusammenstellung, dass man sich des Gedankens an einen „reichen Knicker" oder an einen „armen Millionär" nicht erwehren kann. Und wem fällt hier nicht der „Lüstler" mirator cunni Cupiennius albi (s. I, 2, 36) ein? In dem Emporkömmling Novius scheint der homo novus durchzuklingen, in dem Wucherer Cicuta das böse Giftkraut, sowie das perire in dessen Gentilnamen Perillius, in dem Mulvius die Raub- und Fresslust eines milvus (Plaut. Poen., V, 5, 15), in dem Cicirrus der Schreihals, in dem Albucius der weisshaarige Ehegespons und im Albius (s. I, 4, 28. 109) das Blassgesicht etc."

Caput II.

De personis Lucilianis ab Horatio assumptis.

His, quae ad rem pertinent, nisus iis personis explicandis pro viribus operam dabo, quae minus sunt notae, maximeque iis, quarum memoria scholiis propagatur; nam Maecenatem, Agrippam, alios, veterum temporibus clarissimos, ex aliis multis fontibus et libris rectius cognovimus.

[1]) in Philol., VII, 1852, p. 484 sq., cfr. p. 489.

Atque primum quidem separatim tractabo eas personas, quas ex Lucilio ab Horatio assumptas esse cum probabilitatis aliqua specie affirmari potest, ne quae sunt personae Lucilianae Horatianae habeantur.

C. Lucilium inventorem satirae exstitisse seque hunc secutum esse Horatius ipse profitetur[1]. Iisdem satiris Horatius de virtutibus Lucilii poëtae aeque ac de illius vitiis nonnulla in medium profert, de qua censura multi in diversas partes disseruerunt. Quatenus autem Horatius Lucilium imitatus sit, inde ab antiquis temporibus Horatii scriptis cum fragmentis Lucilianis admodum paucis et aliorum iudiciis et adnotationibus collatis cum cura atque diligentia inquisitum est a viris doctis. Ex recentium numero nominamus Vargesium, quaest. Lucil.[2]: J. A. C. van Heusdium, Stud. crit. in C. Lucilium poëtam: Petermannum, de C. Lucilii vita et carminibus, Vratisl., 1842; Gerlachium, Lucil. sat. rell., Turici, 1846: Iltgenum, de Horatio Lucilii aemulo, progr. Gymn. Montab., 1872: Zawadskium, quatenus in satiris Horatius videatur imitatus esse Lucilium, Halae, 1880, dissert. etc.

Recentissimus hic quidem scriptor multos, qui in fragmentis Lucilianis laboraverunt, superat perspicuitate, modestia, cautione, qua utitur in imitationibus Lucilianis agnoscendis apud Horatium. Profecto poëta Venusinus nonnulla sumpsit ex Lucilio; sed cavendum est in hac re, ne nimis indulgeamus nobis neve incerta ponamus probabilibus causis non allatis, quasi dubia omnino non sint, ut Iltgenus fecit.[3])

De personis denique ipsis ab Horatio ex Lucilii carminibus petitis inter alios disputaverunt Gerlachius[4]), cui, cum plane careant fide certa, quae inde a pag. XXX Lucilio tribuit, saepe strenue resistendum est. Temere enim ille in numero personarum Lucilianarum apud Horatium omnes fere habet, de quarum aetate certiora testimonia non exstent, cum dicit Horatium multa Luciliana in suas satiras transtulisse, ut pro notis et vulgatis uteretur, quae a Lucilio memorata populi animis haesissent. Magis perverse etiam Triemelius[5])

[1]) cfr. s. I, 4. I, 10. II, 1.
[2]) in Mus. Rhen., 1835, vol. III, p. 42.
[3]) cfr. Zawadsk., l. l., p. 9 sq.
[4]) in Prolegom. § 2, p. XIII — XLVI.
[5]) Ueber Lucilius und sein Verhältnis zum Horaz.

de hac re iudicat: „Horaz enthält sich zum Unterschiede von Lucilius jeder namentlichen Kennzeichnung seiner Gegner, und die Namen, deren er sich bedient, sind entweder ganz erdichtete, oder solche längst verstorbener, durch Lucilius oder sonstwie typisch gewordener Persönlichkeiten.“

Jam ad singulas accedamus personas, quarum censuram et descriptionem, adiutus omnibus fontibus, qui mihi praesto fuerunt, quam diligentissime ad finem perducere studebo.

1) Publius Gallonius.

Hunc Gallonium personam esse Lucilianam Cicero[1]), qui multos poëtarum locos unus servavit, ostendit. Ibi Lucilius Laelium inducit, qui P. Gallonium propter nimiam luxuriam reprendit[2]) his verbis:

'O Publi, o gurges, es homo miser' inquit.
'cenasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista
consumis squilla atque acipensere cum decumano[3]).

Pro exemplo igitur Gallonio utitur, qui lubenter, id est cum voluptate, cenaverit, non bene, id est frugaliter, cum squilla et acipensere decumano saṭiari sit solitus. Eodem pertinet etiam Ciceronis alter locus[4]): „sed qui ad voluptatem omnia referens vivit, ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piso, non audio. etc.“ Simili fere modo ab Horatio[5]) Gallonius, qui loco Tulliano illo appellatur aequalis C. Laelii, perstringitur:

„Haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere[6]) mensa
Infamis,“

et a Porphyrione[5]) et a ceteris scholiastis. Tertium[7]) addo, ubi legitur: „qui relicta bonorum virorum disciplina et quaestum et sumptum Gallonii sequi maluerunt, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaque vixerunt.“

cfr. Duentz., Kr. u. Erkl., II, 276, et Estré, l. l., p. 576.

---

[1]) de fin, II, 8, 24 et 25.
[2]) in edit. Lachm.-Vahl. 1002 sq.
[3]) in decimano, edidit Muellerus.
[4]) de fin., II, 28, 90.
[5]) s. II, 2, 47.
[6]) ceterum postea acipenser non magni aestimabatur, id quod ex Plinii N. H., IX, 17, 27, cognoscimus: „acipenser apud antiquissimos piscium nobilissimus habitus.“
[7]) pro Quintio, XXX, 94.

2) L. Cassius Nomentanus.

Altera nobis praebetur ex iis personis, quas Horatius ex Lucilii satiris prompsit. Nam servatum est apud Donatum ad Terentii Phorm., I, 2, 73, fragmentum Lucilianum hoc[1]):

„qui te, Nomentane, malum iam [cetera] perdat."

Franc. Dousa pro corrupto illo verbo „cetera" „querquera" coniecit addiditque Vahlenus in editione Lachmanniana fortasse „malum iam pectori perdat" legendum esse, quae coniectura mihi arridet.

Nihil praeterea de Nomentano in fragmentis Lucilianis invenitur. Nam Scaligerum, qui in fragmento illo Luciliano[2]) pro: „nunc nomen iamque ex testibus ipse rogando exculpo etc." „nunc Nomentanumque etc." legere vult, adeo non sequor, ut contra, id quod Lachmannus proponit, „nomen vitamque" accipiam. In scholiis deinde Pseudoacronianis ad s. II, 1, 22 sub lemmate: „tristi laedere versu Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem] habemus: „Nomina sunt luxuriosorum, quos etiam in priore libro [Lucilius] carpsit, ubi quidem Lucilii nomen iam a Pauly interpolamento cognito recte deletum est, ita ut verba illa non ad nescio quem priorem librum Lucilii, sed ad Horatii s. I, 8, 11 referenda sint. Scholiastae autem vel librarii cuiusdam error fortasse inde ortus est, quod haud ignorabat Nomentani nomen ex Lucilio sumptum esse, neque assentior Beckero[3]) Lucilii nomen non esse omittendum rato.

Cum ita res se habeat, Nomentanum fragmento 69 nisus, in quo similis, ut videtur, homunculus inducitur, atque apud Horatium, personam Lucilianam indicare non dubito, praesertim cum apud Horatium[4]) copulatus inveniatur cum Maenio[5]) Nomentanus, uterque autem tangatur in fragmento Luciliano. Apud Horatium Nomentanus saepius,[6]) modo solus, modo cum aliis eiusdem generis carpitur, nepotis cognomine sive apposito sive non, atque quantus fuerit in consumenda pecunia, ex eo

---

1) in ed. Lach.-Vahl., 69.

2) apud Non., p. 102, 20.

3) in Mus. Rhen. nov., V, p. 369 - 70.

4) s. I, 1. 100.

5) de quo cfr. p. 17 sq

6) s. I, 1, 101, I, 8, 11, II, 1, 22, II, 3, 175, 224.

ipso dilucide perspici potest, quod a Seneca[1]) cum Apicio illo, quo Augusti et Tiberii temporibus nepos maior erat nemo, comparatur. Utrum autem Nomentanus, unus ex convivis Nasidieni, idem sit necne, diiudicatur haud facile, attamen vox sapientis[2]) atque Cruquiani scholiastae sub lemmate: „indice monstraret digito] commentarius: „allusit ad morem licitationis, erat enim Nomentanus decumanus etc.“ alium Nomentanum indicare videntur.

Venimus nunc ad scholium illud Porphyrionis ad s. I, 1, 101 verba: „Ut vivam Maenius aut sic ut Nomentanus etc.,“ quod sic traditur: „L. autem contra Cassius Nomentanus adeo sine respectu calculorum prodigus, ut sestertium septuagies gulae ac libidini impenderit.' huius libertum Damam nomine cocum Sallustius Crispus historiarum scriptor fertur centenis milibus annuis[3]) conductum habuisse.“ Dubitationes de hac adnotatione motae sunt a viris doctis, qui aut Nomentanum non esse personam Lucilianam, aut alteram illius scholii partem falsam esse affirmant. Ab his viris doctis, qui temere scholiastarum, etiam Porphyrionis fidem imminuunt, equidem dissentio, quamquam concedo apud hunc quoque scriptorem, quales nunc habemus eius commentarios, legi quaedam, quae perperam addita sunt.

Itaque ad Beckerum[4]) confugio, qui haec ad scholiastam illum defendendum profert: „Dieser libertus ist in andere Hände übergegangen, nachdem sein Herr Alles durchgebracht hatte. Denkt man sich nun Nomentanus in diesem Zustande, bei dem um 660 u. c. erfolgten Tode des Lucilius, etwa als 25—30 jährigen Mann, so konnte immerhin der junge schwelgerische Sallust sich seinen erfahrenen Koch von 30—40 Jahren anschaffen.“ Haec est vera ratio, qua in explicatione illius scholii utendum nobis est, etsi aliter paululum ratiocinor, atque Beckerus. Lucilius enim a. u. 651 mortuus est; sumamus L. Cassium Nomentanum illis temporibus iuvenem viginti fere quinque annorum fuisse, fieri poterat, ut triginta vel quadraginta annis post C. Sallustius Crispus, iuvenis

---

1) de vita beata, cap. 11.

2) s. II, 8, 60.

3) Scholia Pseudoacroniana et Cruquiana cum hoc conspirant, praeterquam quod pro „annuis“ perperam illa „aeris“, haec „numis“ habent.

4) l. l., p. 372.

luxuriosus, qui a. u. c. 668 natus est. Nomentani cocum aetate provectiorem atque peritissimum centenis milibus annuis conductum haberet.

Nomentano igitur, cuius nomen infamia flagraret inde a Lucilii aetate, pro hominis luxuria perditi exemplo usus est Horatius, quo modo id genus hominum se optime perstringere censebat, neque, id quod nonnulli opinati sunt, huius nomine vera aequalium nomina obtexit [1], ita tamen, ut a plerisque agnoscerentur.

Estré [2]) nimis neglegenter Nomentanum tractat neque quidquam curat res controversas, quas modo tetigimus.

3) Maenius (Naevius) — Pantolabus.

Difficilius aliquanto etiam Maenium ex Lucilii poëtae personis in Horatii satiras defluxisse cum probabilitate demonstratur. Nam unum fragmentum Lucilianum, in quo inest Maenii nomen, tam obscurum est, ut, quid voluerit poëta, dilucide perspici non possit. Est autem fragmentum hoc: [3] „columnam Maenius cum peteret", in quo explanando et de columna et de Maenio valde dissentiunt viri docti. Nam Porphyrionis ad s. I, 3, 21 scholio, ex quo Maenius Horatianus et Lucilianus videtur esse idem, multi fidem non habent.

Sed utut haec se habent, tamen conicio Maenium personam esse Lucilianam, ideo quod apud Horatium Maenius cum Nomentano [4] arcte cohaeret, quodque ex Gallonii, Nomentani etc. exemplis probatur Horatium eiusdem farinae homines aequalibus notissimos ex Lucilio in suas satiras recipere non dubitasse.

Itaque ut de Maenio Horatiano videamus, primum discrimen statuendum est inter Maenium et Naevium, quorum nomina Hor. s. I, 1, 101 codicibus commutantur. Horatii verba sunt:

„Quid mi igitur suades? ut vivam Naevius aut sic
Ut Nomentanus?"

„Naevius" habent codices [5], veteres editiones „Mevius", scholia omnia incipiunt: „Naevius autem fuit in tantum parcus,

---

[1] cfr. p. 11—12.

[2] l. l., p. 557—58.

[3] apud Lachm. — Vahl., 1171.

[4] s. I, 1, 101 et 102.

[5] cfr. Bentlei adnotationem ad locum, ubi Naevium etiam commendat, id quod in editione Haupt. — Vahl. legitur, in textu praebet Maenium.

ut sordidus merito haberetur." Hanc lectionem si probabimus, Naevium, coniunctum cum Nomentano, vel potius ei oppositum a poëta, non minus famosum fuisse avaritia, quam luxuria nebulonem illum concedere debemus, quae opinio nullo nititur testimonio, neque Horatii, neque scholiastarum. Enimvero Hor. s. II, 2, 68 Naevius quidam inducitur, sed tam simplex, id est neglegens depingitur, ut convivis ad vinum miscendum unctam aquam per servos praebeat; ex quo sequitur, ut Naevius, etiamsi haec lectio vera sit, utroque loco eadem esse persona non possit. Contra Naevium (neuum in cod. scriptum) et Maevium (meuum) et Maenium (menum) perfacile in codicibus inter se mutari quis est qui non intellexerit?

Quae cum ita sint, cum multis viris doctis[1]) censeo Maenium s. I, 1, 101 scribendum esse, et errorem repetendum ex Horatii versibus ipsis et iis, qui sequuntur, neglegentia vel stultitia sive librarii cuiusdam sive scholiastae. Tristi enim avari hominis fine exposito pergit poëta, cum iam antea castigatum[2]) facit interrogantem:
„Quid mi igitur suades? Ut vivam Maenius (non Naevius!) aut sic Ut Nomentanus?"
atque respondet poëta: „Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. non ego avarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem."

Apparet igitur fieri non posse, ut avarus ille homo interroget, utrum avari an nepotis more vivat; nam in tali interrogatione vis nulla inest. In errorem certe scholiastae inducti sunt verbis: „pergis pugnantia secum frontibus adversis componere", quae ita accipienda sunt, ut differant inter se et Maenius et Nomentanus, quare „aut" inter illa nomina a poëta positum est. Ad postremum ab Horatio altero loco Naevium nebulonem, altero hominem avarissimum in medium prolatum esse negandum est.

Contra locus ille ad Maenii, Nomentani sodalis, personam accommodatus est, de quo nepote nonnulla nobis sunt tradita et ab Horatio[3]) et a Porphyrione. Ex Horatii locis videmus istum non minus innotuisse Romae, quam Nomentanum.

---

[1]) cfr. Heindorfium, Jahnium, Weichertum, in poët. lat. rell., p. 321.
[2]) v. 70—95.
[3]) s. I, 1, 101, s. I, 3, 21, epist. I, 15, 26.

Optime adumbratur ab Horatio epist. I, 15, 26—46 Maenius, qui re familiari absumpta scurrarum more vitam degit omniaque, quae nanciscitur, in ventrem demittit. Haec descriptio sane coniungenda est cum scholio Porphyrionis ad s. I, 3, 21: „Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt Maenium et scurrilitate et nepotatu notissimum Romae fuisse. hic cum[1]) post patrimonium adrosum Kalendis Januariis in Capitolio clara voce optaret, ut quadringenta milia nummorum aeris alieni haberet, quaerente quodam, quid sibi vellet, quod tam sollemni die aes alienum habere optaret, 'noli mirari' inquit 'octingenta debeo.' [hic fertur domo sua, quam ad forum spectantem habuerat, divendita unam columnam inde sibi excepisse, unde gladiatores spectaret, quae ex eo Maeni columna nominabatur.] cuius et Lucilius sic meminit 'Maenius columnam cum peteret'.

Hoc scholium iis firmari videtur, quae Asconius, Ciceronis interpres[2]), adnotat: „Maenius cum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica aedificaretur, exceperat ius sibi unius columnae super quam tectum proiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri eius spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur, ex illo igitur columna Maenia vocitata est." Tertius auctor est Livius[3]), qui haec narrat: „Cato atria duo Maenium et Titium in lautumiis et quattuor tabernas in publicum emit basilicamque ibi fecit, quae Porcia appellata est." Erat autem M. Porcius Cato censor a. u. 570.

Atque Kiesslingius[4]) quidem in examinandis his locis putat erravisse auctorem illius explicationis de „columnae Maeniae" origine: ad hanc enim iam ante basilicae Porciae aedificationem tresviros capitales sedisse confirmare versus notissimos Plautinos[5]):

„nam os columnatum poëtae esse indaudivi barbaro
quoi bini custodes semper totis horis accubant."

Quibus versibus, ab interpretibus parum intellectis, Naevium (i. e. poëtam barbarum, quasi a Graeco quodam ita appellatum) ad huius columnae scopulum naufragium fecisse Plautus indicare Kiesslingio videtur.

---

1) recte a Pauly additum.
2) ad divin. in Caecil., XVI, 50.
3) l. XXXIX, 44.
4) l. l. p. 8, n. 9.
5) cfr. Mil. glor., II, 2, 58—59.

Hanc interpretationem improbo. Nam praeterquam quod ex versibus Plautinis illud, quod voluit vir doctus, non efficitur, num fieri potest, ut Naevius poëta ibi condemnatus inducatur, ubi fures et servi nequam puniebantur atque debitores a creditoribus proscribebantur? Sensum huius loci, Plauti aequalibus facilem intellectu, nobis obscuratum, cum aliis interpretibus ita intellego, ut os Naevii columnatum nihil aliud significare coniciam, nisi Naevium in carcere, ubi eo tempore videtur fuisse, os vel mentum fulcire more hominum secum de aliqua re cogitantium.

Plauti igitur locum alio spectare ratus Osanni[1]) ratione probata duos vel tres diversos agnosco e gente Maenia commutatos in testimoniis veterum. Unum dico Maenium, cui a. u. 416 consuli priscis Latinis devictis[2]) columna dedicata est; ad hanc homines nequam proscriptos et damnatos esse cum ex aliis fontibus tum ex scholio Vaticano ad Cic. p. Sest. VIII, 18 constat. Columna haec Maenia commemoratur praeterea apud Ciceronem[3]), cumque ex scholiis illis Vaticanis habeamus compertum columnam illam prope puteal fuisse, non est, cur non Plauti[4]) et Plinii[5]) locos ad columnam illam referamus. Recte igitur Osannus interrogat[6]): „Plinius, qui Romae fuit, cur de una columna eaque vetere narrat?" atque respondet: „Verisimile est nullam aliam exstitisse, et confusionem quandam ortam esse, sive quod domus alterius Maenii item ad forum erat sita, sive quod consulto populus columnam ioci causa cum Maenio scurra et nepote coniungebat, ita ut postea de columnae illius origine valde dubitaretur.

Qua ex re apparebit, quomodo in Porphyrionis et Asconii scholia columna illa venerit, cuius Livius mentionem non facit. Maenius autem alter domum suam a. u. 570 Catoni censori vendidit excepitque sibi non columnam[7]), sed, ut Osannus coniectat, partem eius quandam, et hanc in solariorum quod-

[1]) de columna Maenia, Giessae, 1844.
[2]) cfr. Plin., N. H., XXXIV, 5, 11.
[3]) in div. in Caecil., XVI, 50; in orat. pro Sestio, VIII, 18, LVIII, 124.
[4]) Amphitr., I, 1, 3.
[5]) N. H., VII, 60.
[6]) l. l., p. 18.
[7]) nam tales septimo demum a. u. saeculo apud homines privatos invenimus, cfr. Osann., l. l., p. 19.

dam genus mutavit ad spectandos ludos gladiatorios. Ab hoc igitur Maenio Maeniana ducta sunt. Nam, id quod observavit Kiesslingius, aperte falsa traduntur a Festo[1], ubi legitur appellata ea esse ab Maenio censore a. u. 436[2], qui „primus in foro ultra columnas tigna proiecit quo ampliarentur superiora spectacula", siquidem primum in foro gladiatorum munus a. u. 490 exhibitum est a M. et D. Brutis in honorem patris mortui.

Oritur nunc quaestio, utrum Maenius nepos scurraque, qui apud Horatium castigatur, idem sit, atque alter ille et utrum persona Luciliana sit, necne. De hac altera quaestione sententiam meam huius de Maenio disputatiunculae initio aperui. Porphyrionis porro scholio ad s. I, 3, 21 non de uno eodemque Maenio agi ideo censeo, quod cum scholiorum, etiam Porphyrionis auctoritas saepius iure imminuta sit, tum hoc ipsum scholium mixtum videtur ex partibus non congruentibus. Itaque cum aliunde non constet Maenium illum, qui domum suam a. u. 570 vendidit censoribus, nepotem scurramque factum esse, tertium potius apud Horatium Luciliumque[3]) ab illis diversum statuemus, ita ut pars illa scholii Porphyrionis, quam uncis saepsi, non spectet ad Maenium Horatianum.

Quid de Estréi[4]) enuntiato: „Notaveritne Horatius nebulonem sui temporis cognominem Luciliano, an vero illi pro vero nomine imposuerit nomen ex Lucilio desumptum, incertum est" iudicandum sit, cognosces ex iis, quae exposui p. 11—12.

Denique, quid Beckerus[5]) senserit, proferamus. Qui quidem consentiens cum van Heusdio[6]) apud Horatium et in textu et in scholiis ubique pro Maenio Mallium legere iubet, quod s. I, 1, 101 Pantolabi nomen in versus formam redigi non potuerit, et quia in scholiis Acronianis ad epist. I, 15, 26 legatur: „Menius hic Pantolabus dictus est ab eo, quod, quidquid afferebatur, acciperet." Argumentatur deinde hoc fere modo: „Verba illa, quibus utitur Horatius ad Maenium epist. I,

---

1) p. 134, 22. K.

2) idem est, atque consul a. u. 416, quod Estré (cfr. p. 555) nescit: cfr. Isidor. Or., XV, 3, 11.

3) dubium an etiam in fragmento illo ipso Luciliano nobis servato.

4) l. l., p. 556.

5) l. l., p. 373 sq.

6) stud. crit. in Lucil., p. 23.

15, 26 sq. vellicandum cum tenore scholii Porphyrionis ad s. I, 8, 11 de Mallio bene congruunt." Scholium autem sic se habet: „fuit autem Mallius verna[1]) trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui quia a multis pecuniam mutuam erogabat, Pantolabos est cognominatus. sed quamvis aliquot vitiis teneretur, tamen propter scurrilitatem compluribus erat domestice notus."

Atque cum Porphyrionis scholii ad s. I, 3, 21 verba „scurrilitate notissimum" similia sint eis, quae hic inveniuntur, „propter scurrilitatem compluribus erat domestice notus[2])," „patrimonium adrosum"[3]) porro conferenda sint cum „rebus paternis atque maternis absumptis[4])," aeris denique alieni moles, quae in scholio ad s. I, 3, 21 attingitur, Pantolabi nomine explicetur, Beckerus omnibus Horatii locis eiusque scholiastarum, ubi Maenius legitur, Mallium substituere atque Mallium Vernam[5]) Pantolabum personam Horatianam vel Lucilianam interpretari non dubitat. Estré[6]), qui in eiusmodi rebus brevius et neglegentius, quam decet, versatur, coniecturae van Heusdii et Beckeri causa non prolata favere videtur.

Facile quidem concedo similitudinem esse quandam inter Maenium et Mallium: nam utrumque scurram notissimum et aere alieno obrutum a poëta pariter atque a scholiastis notari est apertum. Huc accedit, quod ut Maenius cum Nomentano[7]), ita Pantolabus[7]) cum eodem nebulone copulatur, atque quod in scholio illo Pseudoacroniano Menium Pantolabum dictum esse commemoratur.

Sed ad illam sententiam probandam ea, quae Beckerus attulit, non sufficiunt. Scholiis igitur Pseudoacronianis solis fidem habere nobis non licet, atque praeterea magnopere mirandum est, quo casu et apud Horatium tribus locis et apud scholiastas uno loco excepto[8]) „Maenius" corrupta nunc habeatur lectio pro „Mallius".

---

1) scurra? ita Kiessl. addit.
2) non: „domesticus et notus", ut Beckerus exhibet.
3) non: „abrosum".
4) cfr. epist. I, 15, 26—27.
5) Vernam Beckerus aliique multi habent pro nomine proprio.
6) l. l., p. 551.
7) s. I, 1, 101: s. I, 8, 11.
8) cfr. schol. ad s. I, 8, 11.

Contraria vero sententia, quam protulit Frankius[1], qui opinatur in scholio ad s. I, 5, 11 Maenium Vernam loco Mallii Vernae legendum esse, multo maiorem habet probabilitatem, si modo omnibus illis locis unam eandemque personam obtrudere est necesse. Sed quidni duos eiusdem generis nepotes agnoscamus, cum nihil apud scholiastas scriptum habeamus iis locis, quibus de Maenio agitur, hunc etiam Pantolabum cognominatum fuisse excepto Pseudoacroniano scholio?

Atque in hac difficultate diiudicanda valde dolendum est, quod initium illius scholii Porphyrionis corruptum est, nam Meyero teste „mallius" ex „uallius" corr. et „uerna" s. l. add. m. 2 in cod. M.; quo fit, ut verna non sit nomen proprium neque „ingenuis parentibus" respondeat. Mea quidem sententia nihil aliud[2] pro „verna" conici, sed aut „verna" deleri, additamentum secundae manus, aut ex „ingenuis„ „egenis" fortasse restitui debet. Dolendum praeterea est, quod Lucilii illud de Maenio fragmentum tam breve et obscurum est, ut nihil certi elicere possimus. Quo loco plenius aliquanto servato facillime, num Maenius idem esset atque Pantolabus, perspici iamdudum poterat, nam Pantolabum quoque personam esse Lucilianam ex graeca nominis forma nemo non videt.

Teuffelii[3]) denique coniecturam minime probandam esse apparet. Huic enim Pantolabus atque Hermogenes Tigellius videtur esse unus idemque, quod et numerus et mensura syllabarum par sit atque quia personae illae collatis s. I, 8, 11 sq. et s. I, 4, 72 sq. a poëta similiter tractentur. Talem argumentationem pro nihilo putandam esse ratus, qua in re cum Duentzero[4]) facio, ad postremum censeo aut Pantolabum, si modo cognomen est personae cuiusdam praeter Mallium, nulli alii tribuendum esse, nisi Maenio, aut Mallium Pantolabum atque Maenium diversos esse nepotes, id quod mihi magis placet.

4) Bestius.

Quoniam cum quaestione Maeniana altera, quae est de Bestio, quodammodo cohaeret, statim de Bestio disserere non

[1]) in fastis Horat, p. 81.
[2]) Kiessl. conicit „scurra?"
[3]) in Mus. Rhen. nov. IV, p. 98.
[4]) Krit. & Erkl., V, 240.

ineptum esse iudico, praesertim cum fuerint, qui Bestium esse personam Lucilianam vellent, velut fecit Weichertus.[1])

Loco supra allato[2]), ubi Maenius, scurra vagus, a poëta cum sale et facetiis depingitur, haec adduntur:

„Quidquid quaesierat, ventri donabat avaro.
Hic ubi nequitiae fautoribus et timidis nil
Aut paulum abstulerat, patinas cenabat omasi,
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos corrector Bestius: etc."

In tradita horum versuum scriptura monendum est codices praebere partim correptum, partim correctum, atque id, ut ait Bentleius, plures et meliores contradicente Hauthalio[3]); neutrum vero esse probabile mox videbimus Bentleio duce, cui in hac ancipiti quaestione astipulari non paenitebit.

Neque enim ii audiendi sunt, qui pro Bestio Maenium substituunt, neque qui Bestium dicentem faciunt pro Maenio, id quod, ut ait recte Bentleius, sententiae meras tenebras offundit. „Cur enim tum maxime Bestius ille in nepotes declamaret, cum Maenius minime nepotem ageret, vulgari cibo contentus? Ergo Maenius ipse, cum nepotes puniendos diceret, per epexegesin nominatur Bestius, sicut tertius Cato, Achilles alter." Haud scio an melius sit in eo acquiescere, ut particulas illas „velut, tamquam" suppleamus; sed hoc est parvi.

Bentleius autem, cum „correctus" non cum verbis adiunctis quadret, „corrector" legendum proponit, quam lectionem Lambinus[4]) in antiquissimo codice repperit, quaque probata loci sensus est eiusmodi: „Maenius cum prae inopia nepotari ipse non potuerit, in cenas nepotum acriter elatrat, tamquam alter corrector Bestius."

Bentleium, cuius explicatio valde mihi placet, plurimi editores sunt secuti. In contrarias vero partes disputaverunt Obbarius[5]) et Hauthalius[6]). Ille[7]) ex codicum auctoritate,

[1]) in poët. lat. rell., p. 421.
[2]) epist. I, 15, 26; 30 sq.
[3]) in Obbar. ed. epist. Hor., I, p. 267, nota.
[4]) qui quidem perperam Maevii nomen recepit.
[5]) in ed. Hor. ep., tom. II, p. 266—68.
[6]) apud Obbar., nota, p. 267.
[7]) tom. I, p. 236 et Z. f. d. A. 1843, p. 1016.

nihil agere, qui vel Bentleio, ut Weichertus[1]) et O. Jahnius[2]), vel Feae, ut Plum[3]) astipulentur, et „correctum“ contra optimorum interpretum auctoritatem reducendum esse arbitratur atque explicat[4]) locum Horatianum sic: „Maenius igitur, quoniam temporum ratio fert, ex prodigo illo et homine nequam iam mutatur et reformatur in Bestium, hominem illum sordidum, castigatorem ita, ut impraesentiarum cibo vili contentus nepotes conviciis laceret.“

Quae explicatio neque cum verborum ordine neque cum iis, quae sequuntur, congruit. Namque cum ille exempla afferre omiserit, quibus probetur „Maenium correctum Bestium“ intellegi posse Maenium correctum, emendatum in Bestium, tum ex sequentibus apparet versibus Maenium correctum, i. e. parciorem omnino non esse factum, sed temporibus tantum quibusdam, cum male ederet, in nepotes declamasse. Versus autem illi sic leguntur (32 sq.):

„Idem
Quidquid erat nactus praedae maioris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, 'non hercule miror'
Aiebat 'si qui comedunt bona, cum sit obeso
Nil melius turdo, nil volva pulchrius ampla'.“

Longius etiam a vero abest Hauthalius[5]), qui „correptus“ scripturam commendat his verbis: „so dass er, der Bestius Gescholtene (gleich B.), auf die schlemmenden Nepoten losschlug,“ neque minus inania haec sunt illius verba: „Corrector habe ich nirgends gefunden als reine Lesart, nur 1 cod. ms. des XII. Jhrdts. und zwar der Paris. Reg. 8213 hat über correctus die Variante als Verbesserungsversuch der 1. Hand „vel corrector“. Und dies ist wahrscheinlich der antiquissimus des Lambinus. Dieser corrector scheint mir ein sehr wertloser Einfall trotz Bentley. Denn wie soll der hab- und fresssüchtige Maenius dazu kommen, als ein sittenrichtender Bestius aufgeführt zu werden? Als Fresser des Schlechtesten steht er hier seinem Bestius und den schlemmenden feinschmeckenden Nepoten gegenüber etc.“

1) in poët. lat. rell. p. 420.
2) ad Pers., p. 220.
3) ad Pers., p. 519.
4) cfr. p. 24, n. 5.
5) l. l., nota p. 267.

Quae cum ita sint, etiamsi „correctus“ scriptum sit et „correptus“ in plurimis codicibus, „corrector“ in paucis, ut in antiquissimo Lambini, tamen, cum Obbarii et Hauthalii aliorumque ad Bentlei lectionem redarguendam opiniones nihil valeant, Bentleium sequor.

Restat, ut Bestii personam adumbremus, de qua docet haec scholiastes Cruquianus: „Bestius nomen parcissimi cuiusdam Romani.“ Bestius quidam etiam a Persio[1]) his verbis inducitur:

„'Tune bona incolumis minuas?' Et Bestius urget
Doctores Graios: Ita fit, postquam sapere urbi
Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers:
Faenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.“

Atque Bestium apud Horatium et apud Persium unum eundemque esse, ob antiquam frugalitatem et severitatem notissimum, quis est quin concedat? Weichertus quidem primus usque eo progressus est, ut iam a Lucilio aliisve fuisse illum notatum et ab Horatio communiter pro severo aut parco homine esse usurpatum censeret, cuius coniecturam cum Jahnio[2]) amplector.

Apud Cruquium[3]) denique haec habemus adnotata: „de Corn. autem Bestio scribit Plutarchus eum Ruscium Imbrici soceri sui filium, quem acceperat servandum, dedisse morti, ut eius auro potiretur.“ Id unde haustum sit, Weichertus dicit se invenire non posse, nisi forte ille commentator commiscuit cum Bestio Bessum parricidam apud Plutarchum[4]).

5) Opimius.

Ad Bestium Opimius aptissime adnectitur, homo avarissimus, quam personam esse Lucilianam pro certo non affirmo. Neque enim ex iis, quae in fragmentis Lucilianis de Opimio servata sunt:[5])

„Quintus Opimius, ille Iugurtini pater huius,
Et formosus homo fuit et famosus, utrumque
Primo adulescens, posterius dat rectiu' sese.“

tale quidquam concludi potest.

[1]) sat. 6, 37 sq.
[2]) in Pers. ed., p. 220.
[3]) p. 565.
[4]) de Ser. Num. Vind., Vol. III, p. 190. R.
[5]) in ed. Lach. — Vahl., 358: Non., 305,29.

Hic, a. u. 600 consul, ab Egilio quodam propter famosam adulescentiam perstrictus est, qua de re Cicero[1]) haec narrat: „Q. Opimius consularis, qui adulescentulus male audisset, et festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset: „Quid tu, Egilia mea? quando ad me venis cum tua colu et lana?" „Non pol, inquit, audeo. Nam me ad famosas vetuit mater accedere."

Itaque prorsus improbo, quod Gerlachius[2]) istum, cuius avaritiam cum Lucilius accuratius exposuerit, etiam ab Horatio notari tanta cum fiducia facit, quodque Zawadskius[3]) similiter conicit. Nam s. II. 3. 142 sq. Opimius ab aretalogo quodam stoico exempli causa in medium profertur, neque omittitur occasio a poëta istius homunculi acute arguteque describendi. Avarum enim illum hominem grandi lethargo quondam oppressum, cum iam ab herede custodiatur, medicus quidam fidelis mirabilem in modum excitat remediumque ei offert parvi pretii. Respondet ille[8]):

'Quanti ergo?' 'octussibus.' 'eheu.
Quid refert morbo an furtis pereamque[4]) rapinis?'

6) Lupus.

Lupum a Lucilio famosis versibus coopertum esse ex Horatio[5]) comperimus, atque exstant testimonia nonnulla, ex quibus, quamobrem Lucilius eum invaserit, satis apparet.

In fragmento quodam[6]) Lupus ille praetor die iudicii non adfore dicitur, eique Empedoclis elementis adhibitis summa iuris delendi cupiditas obicitur. Cicero[7]) porro de illo haec profert: „Quid de sacrilegis, quid de impiis periurisque dicemus?

'Tubulus si Lucius umquam.
Si Lupus aut Carbo [aut][8]) Neptuni filius',

ut ait Lucilius putasset esse deos, tam periurus aut tam impurus fuisset?" Atque si id, quod Servius[9]) narrat: „Ac-

[1]) de Orat., II, 68, 277: altera lectio „Caecilia."
[2]) l. l., p. XXIX.
[3]) l. l., p. 22.
[4]) cfr. v. 156: altera lectio: „pereamve."
[5]) s. II, 1, 68.
[6]) Non., 289, 26, Prob. ad Virg. Ecl., VI, 31, p. 18, 16, in ed. Lachm. — Vahl., 690 sq.
[7]) de nat. deor., I, 23, 63.
[8]) a Vahl. deletum.
[9]) ad Aeneid., X, 104.

cipite ergo animis] Totus hic locus de primo Lucilii translatus est libro. ubi inducuntur dii habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam ducis[1]) in re publica, postea sententias dicere", accuratius perspexerimus, affirmare nobis licebit Lucilio Lupum valde invisum fuisse et ab eo persaepe gravissime vellicatum.

Muellerus[2]) etiam fragmentum quoddam refert ad hunc Lupum, quod corruptum invenitur apud Varronem[3]) et correctum est in editione Lachmanniana[4]) sic:

„Occidunt. lupe, saperdae et iura siluri."

ita ut Lupi persona hic omnino non tangatur. Persii[5]) contra locus commemoratione dignus est:

„Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, Te Muci. et genuinum fregit in illis",

ubi Janus Dousa non magis apte „Jülis" proponit, quam Estré[6]) „Asellis".

Sequitur nunc, ut quaeramus, quis sit Lupus ille et a Lucilio et ab Horatio reprehensus? Scholia quidem memoriae tradunt fuisse Rutilium Lupum, unus commentator Cruquianus addit: „Rutilius Lupus consul fuit cum L. Julio Caesare a. u. 664." Lectis autem his versibus[7]):

„Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis, num Laelius, et qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi aut laeso doluere Metello
Famosisque Lupo cooperto versibus?"

intellegimus P. Rutilium Lupum cum Laelio et Scipione tali modo coniungi non posse, cum Lupus Scipione vivo[8]) vix annum quintum decimum expleverit, siquidem consul fuit a. u. 664.

Itaque reicio sententiam Estréi[9]), qui Servii illud perperam

---

[1]) iudicis: alii.
[2]) l. IV, 7.
[3]) de lingua lat, VII, p. 74, 8 et 9: hic legitur: „aper de te . . . ."
[4]) 108, 4.
[5]) s. I, 114.
[6]) l. l, p. 80.
[7]) s. II, 1, 62 sq.
[8]) mortuus est hic Scipio a. u. 625.
[9]) l. l., p. 79 sq.

ita accipit, ut de mortuo agatur, et Rutilium Lupum impium fuisse scriptorem testimoniis demonstrare conatur. Notanda deinde mihi esse videtur Duentzeri[1]) de hac quaestione sententia, praesertim cum saepius in eius explicationibus reperiatur. Dicit enim Lupum consulem a. u. 598 aetate provectiorem fuisse, quam ut a poëta, nato a. u. 606, tangi potuerit atque similiter ratiocinatur in editione sua Horatiana[2]); in „Kr. u. Erkl.[3])“ vero id ipsum affirmat, quod antea prorsus negavit.

Lupus igitur et Lucilianus et Horatianus, de quo iam inde a Torrentio plurimi interpretum cogitaverunt, pleno nomine appellatus est L. Cornelius Lentulus Lupus, cons. a. u. 598. Atque haec fere verborum Horatii sententia est: Lucilium iam suis temporibus vitia hominum, velut Metelli et Lupi, detexisse et perstrinxisse nullo suo incommodo neque in Laelii neque in Scipionis, amicorum suorum, odium incurrisse, qui haud ignorarent illum vitia omnium ordinum vituperare, laudare virtutes neque graviter ferrent satirarum illius scriptoris cavillationes.

7) Novii.

Apud Horatium, s. I, 6, 120, commemorantur, atque Porphyrio explicat hunc locum ita: „duo Novii fratres illo tempore fuerunt, quorum minor tumultuosus feneator fuisse traditur.“ additque recte: „quasi ideo manum levet Marsyas, quod sustinere in foro non possit hic Novium.“ Confirmatur autem haec explicatio nummo quodam[4]). Verisimile est horum Noviorum alterum a Maenio carptum[5]) induci ab Horatio: Novius contra, cuius s. I, 6, 40 mentio fit, libertinus homo, ab his videtur esse diversus.

Etiam Novios fratres ex Lucilio in Horatium assumptos esse atque Novium (s. I, 3, 21). Maenii sodalem, et Novium (s. I, 6, 40) eandem esse personam Duentzerus[6]) opinatur: quare explicat sensum s. I, 13, 21 ita: „equidem, ait Maenius

---

[1]) in Z. f. d. A. 1851, p. 36.
[2]) p. 402.
[3]) II, 459.
[4]) apud Boettigerum, Kl. Schrift., I, 28.
[5]) s. I, 3, 21.
[6]) Kr. u. Erkl., II, 105, n. 1.

id facere possum, non libertinus ille homo.“ Sed quo iure ex s. I, 6, 40 colligitur libertinum illum Novium esse nebulonem? Perseverabis fortasse melius in mea sententia.

8) Pacideianus.

Fulvus, Rutuba, Pacideianus optimi gladiatores fuerunt.[1]) In Lucilii fragmentis[2]) de Pacideiano haec habemus scripta:

„Aeserninu' fuit Flaccorum munere quidam
Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque;
Cum Pacideiano componitur, optimu' multo
Post homines natos gladiator qui fuit unus.“

Muellerus[3]) itemque Lachmannus[4]), quae ad hunc gladiatorem pertinent, testimonia, maxime Tulliana, collegerunt, ex quibus nonnulla nunc eligo. Cicero igitur dicit[5]): „a me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur, Aeschines tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius, non spurcus homo sed acer et doctus cum Pacideiano hic componitur optimus[6]) longe post homines natos.“ Ad Quintum fratrem scribit[7]): „Non putasset sibi Pompeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen; in urbem introisset; ad inimicitias res venisset; cum Aeserino Pacideianus comparatus viderer; auriculum fortasse mordicus abstulisset.“ In Tusculanis disputationibus leguntur haec[8]): „Sed in illo genere sit sane Pacideianus[9]) aliquis hoc animo, ut narrat Lucilius:

„Occidam illum equidem et vincam, si id quaeritis, inquit;
Verum illud credo fore: in os prius accipiam ipse,
Quam gladium in stomacho furi ac[10]) pulmonibus sisto.
Odi hominem, iratus pugno, nec longius quicquam
Vobis, quam dextrae gladium dum accommodet alter:
Usque adeo studio atque odio illius ecferor ira.“

[1]) cfr. Porph. ad s. II, 7, 97.
[2]) in ed. Lachm. 136, Non. 393, 28; 257, 26.
[3]) in ed. Luc., p. 22.
[4]) p. 16—17.
[5]) de opt. gener. orat., VI, 17.
[6]) optimis, ed. Beierus.
[7]) epist. III, 4, 2.
[8]) IV, 21, 48.
[9]) Pacidianus vel Placidianus perperam codd.
[10]) SURIA, trad. lect.

Quibus ex locis constat Pacideianum, gladiatorem Lucilii temporibus, tantam gloriam esse assecutum, ut ad posterorum memoriam laudes eius propagarentur.[1]) Szelinskius[2]) putat Horatium Pacideianum adhibuisse ad quemlibet gladiatorem clarissimum designandum, fortasse hereditarium nomen, ita ut contemporaneus Horatii significetur. Certe Pacideianum, aequalem Lucilii, Horatius coniunxit cum Fulvio et Rutuba, ut totam classem significaret, sed hunc usum bene intellegis ex iis, quae protuli p. 11—12.

9) **Pythias**:

Ad Horatii epist. II, 3, 237 sq.:

„Ut nihil intersit Davusne loquatur et audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum etc."

apud Cruquium invenimus haec: „Pythias| persona comica in comoedia Lucilii: quae inducitur per astutias accipere argentum a Simone domino suo in dotem suae filiae."

Quamquam adnotationes Cruquianas diligenter examinare debemus, atque verisimile est verba illa „in comoedia Lucilii" effecta esse mendo, ut fortasse suspiceris pro „Lucilii" nomen comoediae[3]) scriptoris cuiusdam esse legendum, tamen Gerlachius hoc uno testimonio Cruquiano confisus sine ulla dubitatione Pythiadem Lucilio tribuit.

Jam cum, quae hoc capite disseruimus, cogitatione et mente denuo erimus complexi, propter pessimam satirarum Lucilianarum condicionem non plures quam tres personas Horatianas easdemque Lucilianas summa cum probabilitate agnoscemus, Gallonium (n. 1), Pacideianum (n. 8), Lupum (n. 6), adiungemus minus quidem probabiliter, Nomentanum (n. 2), Maenium (n. 3), Pantolabum (n. 3), concludemus denique seriem Bestio (n. 4), Opimio (n. 5), Noviis (n. 7), Pythiade (n. 9), quas extremas personas hic nos inseruisse sola coniectura profitemur.

---

[1]) Duentz., Kr. u. Erkl., II, 394; Estré, p. 532—33.
[2]) l. l., p. 37.
[3]) Orellius coniecit: „Caecilii."

Caput III.

De personis quibusdam selectis Horatianis.

Ex reliquis personis Horatianis eas maxime elegi, de quibus diversae a viris doctis prolatae sunt sententiae, easque ordinem litterarum secutus composui.

1) Albucius.

S. II, 1, 48 et II, 2, 67 duos puto esse diversos inter se Albucios. Alter a Porphyrione priore scholii ad s. II, 2, 67 parte avarus et in servos saevus describitur, cum alter, cum Canidia coniunctus s. II, 1, 48, veneno uxorem suam dicatur peremisse.[1]

Duentzerus[2]) in explicatione epodi 5 haec affert: „Man hat noch nicht bemerkt, dass Albucius auch ein fingierter Name ist: der Greis wird von den albis capillis (ep. 17, 23), Albucius genannt. Ist es derselbe, wie unser Varus, und wäre auch in ihm eine Anspielung auf den wahren Namen, so könnte, wie Can-idia Grat-idia hiess, so der wahre Name des Alb-ucius Verr-ucius gewesen sein.“ Quam temere haec dicta sint, ex iis, quae supra[3]) dixi, intellegitur.

2) Barus-Barrus.

Tribus locis Horatianis hoc vel simile quoddam nomen reperimus, qua ex re intellegitur non rarum fuisse apud Romanos, praesertim cum duas vel tres eiusdem nominis personas distinguendas esse mox appariturum sit.

S. I, 4, 110 Barus inops carpitur, quod nomen, cum codices discrepent inter se, a Meinekio et Hauptio[4]) ex Bajo quattuor codicum Blandiniorum lectionibus Bentleianis „farris“ sive „panis“ prorsus reiectis recte ita est restitutum. Contra s. I, 6, 30 in codicibus miro consensu legitur Barrus[5]), qui

---

[1]) cfr. schol. Porph. ad s. II, 1, 48 et alteram partem schol. ad. s. II, 2, 67, quam ad hunc refero Albucium.

[2]) Kr. u. Erkl., II, 238, not. 2.

[3]) cfr. p. 12.

[4]) in Mus. Rhen. III, 149—50.

[5]) in codice M. uarrus leviter corruptus.

vanissimus a poëta describitur quique alius fortasse est, atque maledicus ille homo copulatus cum Sisenna s. I, 7, 8.

Duentzerus[1]) quidem personam illam quoque s. I, 4, 110 commemoratam confundit cum s. I, 6, 30, similiterque Orellius, qui hos locos Horatianos ita coniungit, ut dicat: „homo, antequam inops sit factus, formae studio immodice deditus fuit et adulterarum sectator“: qua in explicatione, ut ait Hauptius, sat. I, 6 ante sat. I, 4 exaratam esse perperam opinatur Orellius.

Jam scholiastae adnotationem ad s. I, 6, 30: „hic Barrus vilissimae libidinosaeque admodum vitae fuit, adeo ut Aemiliam virginem Vestae incestasse dictus sit.“ Hauptius et Estré[2]) non ad Barrum Horatianum spectare putant. Causam enim Aemiliae, Marciae Liciniaeque, virginum Vestalium, argumentantur actam esse a. u. 640[3]), duodeoctoginta igitur annis fere ante hanc satiram scriptam. Atque nomen equitis illius Romani, qui incestum commisit, est apud Orosium[4]) in editionibus L. Veturius, apud Plutarchum[3]) *Βουέτιος βάρβαρος*, pro quo Franc. Fabricius scripsit *Βουέτιον Βάῤῥον*, similiter atque paulo ante „*βαρβάρου Βάῤῥου τινὸς ἱππικοῦ θεράπων.*“ Fieri autem potest, pergit Hauptius, ut idem intellegatur apud Ciceronem[5]) T. Betucius Barrus nomine. Quibus causis commoti viri illi docti ab hoc Barro Horatianum secernendum arbitrantur.

Equidem locum Horatianum sic interpretor: „si qui aegrotet, quo morbo Barrus aegrotabat“, ita ut poëta nomine Barri, etiam tum valde noti, pro toto genere[6]) talium hominum usus sit. Qua in opinione adiuvari me existimo, quod s. I, 7, 8 pluralem numerum Barrorum poëta protulit.

3) Canidia.

In numero earum personarum, quarum vitia poëta acerbissime illusit, Canidia ponenda est. Cuius rei testimonium praebent praecipue ep. 5, ep. 17, s. I, 8. Primo horum car-

---

1) Kr. u. Erkl., II, 153 et 187.

2) l. l., p. 576.

3) cfr. Liv. epitom., l. XLIII; Cic. Brut., c. 43; Plut., quaest. Rom. 83; Macrob., sat. I, 10; Ascon. ad Cic. orat. pro Mil., c. 12.

4) V, 15.

5) in Bruto, XLVI, 169.

6) cfr. p. 11—12.

minum Canidia magicas parat artes adiuvantibus Sagana, Veia, Folia, atque puerum raptum et in fossam iniectum interficere vult, quo sacrificio Varum senem, a quo relicta est, sibi redditum iri sperat. Similiter s. I, 8 in Esquiliis hortis versatur noctu prope Priapi statuam et cum Sagana tristes exercet artes, quibus amati viri fidem examinat. Huc accedit tertium ep. 17, quo Canidiae ira atque odio inflammatae versibus se vinctum esse magna cum ironia simulat poëta ab eaque petit, ut sibi scelus condonet, praesertim cum ei maledicere iam non pergat.

Ex his luce clarius intellegimus Canidiam veram esse personam neque confundendam cum ceteris mulieribus, quae fictis nominibus appellatae in quattuor carminum libris inveniuntur. Quid? quod Canidia non solum in epodis, sed etiam in satiris cum eadem Sagana copulata illuditur? Itaque probum iudico Porphyrionis scholium ad ep. 3, 7 (similiter ad s. I, 8, 23): „sub hoc Canidiae nomine Gratidiam Neapolitanam unguentariam intellegi vult, quam ut veneficam Horatius semper insectatur.“

Atque primum quidem ceteros locos Horatianos commemoro, ubi Canidiae fit mentio. Ep. 3, 8 legitur:

„An malas Canidia tractavit dapes?“

et s. I, 8, 95 item in transitu vellicatur his verbis:

„velut illis
Canidia adflasset, peior serpentibus Afris.“

Magnis autem difficultatibus implicati sunt interpretes s. II, 1, 48, ubi scripta sunt haec:

„(Minitatur sc.) Canidia Albuci quibus est inimica venenum.“

Porphyrio ad hunc locum scribit: „amphibolice posuit. scilicet aut Canidia Albuci filia[1]) venenum minitatur aut Albuci venenum. hic enim Albucius veneno uxorem suam dicitur peremisse.“ Ex iis, qui „Canidia Albuci“ scholiis maxime Pseudoacronianis ducibus coniungunt, quaero, cur scholiastae Canidiae patrem neque hoc neque ullo alio loco nominaverint; multo etiam minus Bothii atque Duentzeri[2]) interpretationem „die Freundin des Herrn Albucius“ laudamus. Immo cum

[1]) sententiam primus ita explevit Meyerus; in schol. Pseudoacr. Virgilii „Deiphobe Glauci“ commemoratur.

[2]) Kr. u. Erkl., I, 283, not. et III, 455.

Orellio, Heindorfio[1]), Estréio[2]), aliis explicamus ita: „Canidia iis, quibus est inimica, minitatur venenum, quo Albucius infamis est, cum uxorem suam veneno e medio sustulisse dicatur."

Praeterea ep. 12 ex inscriptione et ep. 8 Canidiam carpi nonnulli putant, quae sententia ab argumento horum carminum atque ab ea ratione, qua poëta Canidiam illam veneficam solet reprehendere, longe differt. Idem indicamus de c. I, 16 secuti Cahnium[3]), qui censet ea, quae dicuntur in hac palinodia, Canidiae naturae non apta esse; tum odium Canidiae tantum esse, ut hoc carmine non mitigetur; verba denique: „O matre pulchra filia pulchrior" non congruere cum iis, quae poëta aliis locis de Canidia praedicet. Teuffelius[4]) ad haec confirmanda nonnulla addit.

Attamen ea, quae supra protuli, suppetunt ad scholiastae adnotationem probandam.[5])

Iam videamus, quid viri docti habuerint, cur Porphyrionis fidem et auctoritatem minuerent. Cahnius[6]) „unguentariam" scholiastae ex ep. 5, 59 et 17, 23 ductum esse existimat, siquidem inde pauperem eam fuisse sequatur. Nam procul dubio Horatius, inquit ille, ep. 17, 60 Pelignas anus ab ipsa ditatas esse non fecisset dicentem, si omnes inopem esse scivissent. Ad haec respondemus unguentariae significationem aut ex omnibus locis, ubi de Canidiae unguentis, magicis artibus, venenis agitur, aut omnino non ex Horatii carminibus ductam, sed formam carminum accommodatam esse ad unguentariae vim ac naturam. Utrum dives an pauper fuerit, ex duobus illis locis diiudicari non potest mea quidem sententia, atque similiter ep. 17, 60 ditandi verbum non proprie dictum est, sed fortasse ita interpretandum est, ut pro disciplina artium veneficarum pecuniam solvisse dicamus Canidiam.

Recte contra repudiat[7]) ille Porphyrionis ad ep. 5, 43

---

1) in ed. sat. Hor., p. 290.

2) l. l., p. 582.

3) in Triade quaest. Hor., Bonnae, 1838, p. 22 sq.; Fuerstenau, de carm. aliqu. Hor. chronolog., p. 12—14 contra disputat.

4) in Z. f. d. A., 1844, p. 515 sq.

5) cfr. Buttmann, in Mythol. I, 332; ex iis, qui secuti sunt, nomino Weichert., in poët. lat. rell., p. 416, Heindorf., in ed. sat. Hor., p. 222, Estré, l. l, p. 581.

6) l. l., p. 26 sq.

7) l. l., p. 28—29.

explicationem: „videtur significare scelus hoc Neapoli factum", id quod Kirchnerus[1]) et Mitscherlichius crediderunt, atque ostendit scholiasten versu 41 in errorem incidisse, cum „otiosa Neapolis" ad Foliam solam Ariminensem attineret.

Quamquam non puto Neapolitanam Canidiae originem, praesertim cum de ea certiores fiamus pluribus scholiis, ex hoc loco ipso esse natam. Etiam ep. 5 igitur Romae scena habetur, neque audire debemus Teuffelium[2]), qui mirabilem in modum Canidiam hunc unum diem Neapoli morari vult.

Calmius porro Canidiam non fictum esse nomen, sed verum opinatur[3]), quia Horatius saepe vera nomina adhibuerit. Licymniae autem exemplo et iis, quae de aliis poëtis, Horatii aequalibus, apud Apuleium legimus, refellitur illius opinio, qui ipse dubitat, num Horatius pro vero Romano nomine non Graecum aliquod, sed aliud et ipsum Romanum[4]) posuerit. Cuinam, dicit deinde Calmius, non valde mirum videatur Horatium ep. 17, 59 Canidiam facere querentem, quod urbem impleverit nomine suo, si flagitia quidem ignominiamque eius, verumtamen non ipsum nomen poëmatis vulgasset? Huius vero argumenti vis dilabitur plane, cum dicimus poëtam nomine illo quidem ficto usum esse, sed ita, ut est consentaneum, ut ex forma eius et syllabarum quantitate verum nomen perfacile sit cognitum. Quamobrem in scholio illo bono Porphyrionis acquiesco.

Denique miram quandam Canidiae personae illustrandae rationem tango. Ruehrmundius[5]) enim, cum nonnullis ex locis intellexerit Canidiam Maecenati notam fuisse scholiorum auctoritatem hoc loco nihili esse opinatus[6]) non veretur nobis persuadere velle Canidiam et Varum nomina esse ficticia pro Antonio et Cleopatra. Ad quam opinionem explicandam laudat Plutarchum[7]), apud quem est: *„Κανίδιος — παρ᾽ Ἀντωνίῳ δυνάμενος μέγιστον"* et Dionem Cassium[8]): *„Ἀντώνιος ἔκφρων*

---

1) in quaest. Horat., § 49.
2) in Z. f. d. A., 1844, p. 522.
3) l. l., p. 30.
4) exstat enim gens plebeia Canidia.
5) in Z. f. G. 1861, p. 144 sq.
6) l. l., p. 200.
7) Ant., cap. 42.
8) L, 5.

ὑπ' αὐτῆς ἐκ μαγγανείας τινὸς γεγονέναι ἔδοξεν". neque dubitat Saganam cum Ira, Veiam cum Charmione, Foliam ‚masculae libidinis' cum Mardione Eunucho comparare etc.

4) Catia.

In Meyeri editione scholium Porphyrionis ad s. I, 2, 94 sic est scriptum: „haec autem (sc. Catia) adeo vilis fuit, ut in aede Veneris theatri Pompeiani adulterium cum Valerio Siculo colono tribuno plebis obducto velo admiserit."

Pro Monacensis igitur codicis: „ualeri acsitulo colono" scripsit ille, ut iam antea Pauly. „Valerio Siculo colono." Atque „colono" quidem deletum est ab Estréio[1]) hanc vocem ex „c(t)ulo" vel „colo" antecedentis ortam esse rato, id quod factum esse potest. Maius autem est, quod Kiesslingius, cum neque de Valerio Siculo, neque de tali nomine quidquam scriptum inveniatur, conicit, ‚Valerio Acisculo', quam scripturam ex codicis illis litteris facile restitues. Huc accedit, quod L. Valerius Acisculus vir monetalis a. u. fere 711[2]) fuit, atque Acisculi cognomen est Romanum, proprium gentis Valeriae.

Kiesslingius Quintiliani[3]) loco allato, ubi de metalepsi quadam disserit atque ita pergit: „Haec (sc. rerum) tam frigida, quam est nominum fictio adiectis detractis mutatis litteris: ut Acisculum, quia esset pactus, Pacisculum, et Placidum, quod is acerbus esset natura, Acidum: et Tullium, cum fur esset, Tollium dictos invenio." hunc Pacisculum eundem esse atque Acisculum, ex Porphyrionis exemplari restitutum concludi posse opinatur.

Catia matrona fuit malis et corruptis moribus, cui similis est Catiena apud Juvenalem[4]). Atque Catiae et Catienae nomina cohaerent, ut videtur, cum adiectivo illo „catus", quod haustum est ex Sabinorum[5]) sermone.

5) Catius.

Similiter atque s. II, 3 Damasippus inducitur, s. II, 4 Catius, a poëta rogatus, praecepta dat rerum culinariarum

---

[1]) l. l., p. 580.

[2]) cfr. Mommsen, Muenzw. 651, 417. Eckhel, V. 330 sq., Cohen, Médaille, Tab. XL.

[3]) instit. orat., VI, 3, 52.

[4]) s. 3, 133.

[5]) cfr. Varro., L. L., VII, 3,90.

modo audita auctoris quidem nomine celato[1]). Epicureorum sectae Porphyrio assignat Catium, qui quattuor libros de rerum natura et de summo bono scripserit, atque Cruquius plenius nomen addit Catium Miltiadem tangitque librum eius de opere pistorio. Sed num Catius Epicureus idem sit, atque Catius Miltiades, dubitandum est.

Atque primum quidem Catium Epicureum habemus apud Ciceronem[2]), qui ad Cassium scribit: „Catius Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, quae ante Democritus εἴδωλα, hic spectra nominavit,“ et Cassius, quae Cicero reprehendit[3]) in Catio, concedit illa quidem, sed addit[4]): „Pro quo tibi tot rusticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum esse dicas.“ Praeterea Quintilianus[5]) audiendus est, qui dicit: „in Epicureis levis quidem, sed non iniucundus tamen auctor Catius.“

Heindorfius[6]) uberius agit de Catii persona atque addit haec: „Offenbar hat der Name Catius und die Stellung dieser auf die stoische Declamation folgenden Satire jene wunderliche Ansicht der alten Erklärer veranlasst. Die hier vorgetragenen Regeln über Speisen sind nicht auf Ueppigkeit und Schwelgerei berechnet, sondern darauf, Wohlgeschmack und Eleganz der Tafel mit der möglichsten Sorge für die Gesundheit zu verbinden etc.“ Minime probo, propterea quod scholiastarum commentarii ad s. II, 3 et 4, licet ab illis sint excogitati, maximam partem probabiles mihi videntur esse neque praecepta illa, quae s. II, 4 continentur, aliena ab Epicureorum disciplina.

Idem vir doctus autem Catium Horatianum fictam personam esse arbitratus est, itemque scholiastis fidem denegarunt Wielandius, Manso, Wuellnerus[7]), Duentzerus[8]), alii.

Wielandius porro praeceptorem Catii intellegit Horatium; de Maecenate cogitat Heindorfius; Duentzerus[9]) atque Walcke-

---

[1]) cfr. vers. 11.
[2]) ad fam., XV, 16.
[3]) quomodo autem Cicero de Epicureis sui temporis iudicaverit, fortasse recte censet Estré, l. l., p. 140.
[4]) ad fam. XV, 19.
[5]) instit. orat., X, 1, 124.
[6]) in ed. Hor., argum. s. II, 4.
[7]) in programm. Duesseld. 1833.
[8]) Kr. u. Erkl., II, 232.
[9]) Kr. u. Erkl., II, 294 in textu et nota. 2.

naerius[1]) Pseudoacrone auctore Nasidienum esse praeceptorem opinantur.

Haec omnia inania atque futilia esse satis probabiliter docuerunt Weichertus[2]) et Frankius[3]).

Multo igitur minus Heindorfii extremae disputationi, qua abscedit a priore sententia, assentimur: „Und vielleicht ist auch Catius hier keine erdichtete Person, sondern einer der Tischgenossen Mäcens von einem ähnlichen hier nach der Weise unseres Dichters veränderten Namen, der besonders auf solche Belehrungen des Gönners zu achten pflegte, so dass zwei Personen zugleich der Gegenstand dieser für einen engen Kreis von Freunden bestimmten Satire sind." Iam antea Torrentius coniecit sub Catio certum quendam nebulonem latere et Sanado Horatium poëtam Catium illum de suo finxisse, quas opiniones esse repudiandas vidimus.

Postea in has partes abiit praecipue Manso[4]). Is enim Catium intellegendum esse C. Matium equitem opinatus est, quem invenimus apud Plinium[5]). Ut coniecturam suam argumentis comprobet, saepe ficta nomina magnorum virorum a poëtis usurpari censet, quod quidem argumentum nullius esse momenti constat. Deinde Columellae[6]) testimoniis utitur: „Nec ignoro plurima in hunc librum non esse collata, quae C. Matius diligentissime persecutus est, illi enim propositum fuit urbanas mensas et lauta convivia instruere", et porro[7]): „libros tres edidit, quos inscripsit nominibus coci et cetarii et salgmarii" atque profert etiam mala Matiana compluribus[8]) locis veterum scriptorum commemorata. Ne horum testimoniorum specie falleretur, cavit Duentzerus[9]): ostendit enim Catium non se inventorem rerum illarum culinariarum praebere, sed praeceptorem suum.

1) Histoire d' Horace, T. I, p. 433.
2) in poët. lat. rell., p. 417.
3) l. l., p. 117.
4) Abhdlgn. u. Aufs., Vratislaviae, 1831, p. 281—88.
5) N. H., XII., 16.
6) XII, 46, 1, ed. Schneiderus.
7) cfr. XII, 4, 2.
8) Colum., V, 16, 19. XII, 47, 5; Plin., N. H., XV, 14.—15; Macrob. s., II, 15.
9) Kr. u. Erkl., II, 292.

Pauci Mansonem laudaverunt, ut Passovius[1]), refutaverunt multi, ut Mitscherlichius[2]), Lentschius[3]) maximeque Obbarius[4]), qui bene observavit Cătium a correptum, Mātium productum habere, quae observatio scriptura „Mattius" confirmatur. Huc accedit, quod ex testimoniis Tullianis[5]) C. Matium hominem prorsus alium cognoscimus, atque Catius ab Horatio describitur. Idem senserunt Frankius[6]), Duentzerus[7]), Estré[8]), alii.

Orellius denique Cruquio duce Catium Miltiadem libertum M. Catii Epicurei esse suspicatur: contra Duentzerus[7]) non sine causa Miltiadis nomen ex M. fortasse per corruptelam ortum esse. Certe igitur dubitandum est, num plenum illius Epicurei nomen M. Catius (Miltiades) fuerit, sed Catium philosophum hic inductum esse ab Horatio verisimile videtur esse. Atque cum epistula Cic. ad fam. XV, 16 scripta sit a. u. 709, s. II, 4 a. u. 724, fortasse etiam prius, Estréio[8]) astipulari possumus, qui ita sententiam suam aperit: „Ergo non de Catio vivo sermo esse potest apud Horatium, sed ei mortuus[9]) iam ob oculos venit, cum circumspiceret personam idoneam Epicurei."

6) Cervius.

Cervius in commentatore Cruquiano ad s. II, 1, 47 libertus appellatur Ascanii, cuius loco coniecit Kiesslingius „A. Scantii", Fea nonnullos codices secutus „Servii" atque meminit Servii Polae[10]), „Calumniator accusavit Cn. Calvinum lege de sicariis," additum est in scholio de Cervio.

Alium Cervium habes s. II. 6, 77.

7) Plotius Crispinus.

Eodem fere modo castigantur Fabius, Stertinius, Plotius Crispinus.

---

1) in vita Hor., not. 172.
2) in praelect. catal. 1832/33, p. IV.
3) in Z. f. d. A., 1834, p. 164.
4) in Jahnii et Klotzii anal., XV, fasc. 1, p. 57.
5) cfr. ad fam. VI, 12, VII, 15, XI, 27, ad Att., XI, 11, XIV, 1 et epistulam Attici ad Cicer, ad fam., XI, 28.
6) l. l., p. 117.
7) l. l., II, 292, n.
8) l. l., p. 141—42.
9) fortasse brevi ante; cfr. contra quid contenderit Heindorf., in ed. sat. p. 100.
10) cfr. Cic. ad Quint. fr., II, 13 et ad fam., VIII, 12.

S. I. 4, 14 aretalogus quidam inducitur his verbis:

„Accipe si vis,
Accipe iam[1]) tabulas: detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus, uter plus scribere possit".

Aretalogi vox, ut Casaubonus[2]) recte monet, quamvis graeca, Romae nata esse et Crispino primum attributa videtur. Significabantur autem hoc nomine philosophi, qui placita Epicurea vel Stoica loquerentur ad sui ostentationem.[3])

Item s. I, 3, 139 et II, 7, 45 vellicatur iste et deridetur ab Horatio. S. I, 1, 120 Bentleius pro „lippi", quod verbum spectat ad „Crispini", lippum scribit ad Horatium referens, quia credere non potest poëtam Crispinum ob lippitudinem derisisse, cum ipse eodem vitio oculorum laboraverit. Nemini haec coniectura placuit, videsis Estré.[4]) Atque imprimis Jacobsius bene[5]) explicat locum sic: „Desino, ne lippo illi Crispino (oculis et mente), cui iam corporis habitu similis sum, etiam loquacitate fiam similis.

Conferas de Crispino Zellerum, hist. graec. phil., III, 1. 599 sq.

Quod Fabricius[6]) vult, Crispinum fictum esse nomen, neque ad ea quadrat, quae supra exposui, neque scholiorum neque illius viri argumentis commendatur; contra apud Juvenalem alium habes Crispinum, s. 1, 27; 4, 1 sq.

8) C. Cupiennius Libo.

Cupienniam gentem Cumis, in colonia graeca, fuisse et constat ex scholio Porphyrionis ad s. I, 2, 35: „Gaius Cupiennius Libo Cumanus Augusti familiaritate clarus, corporis sui diligentissimus, fuit sectator matronarum concubitus." et confirmatur eo, quod in inscriptionibus Regni Neapolitani n. 2259 inter octoginta septem dendrophoros Cumanos septimus Cupiennius quidam Primitivus recensetur. Duo huius gentis viri monetales sexti a. u. saeculi memorantur[7]): C. Cup(iennius) et L. Cup(iennius).

---

1) accipiam, in ed. Haupt. — Vahl.
2) ad Suet. Aug., cap. 74.
3) Weichert., lect. Venus. p. 30 31. not. 13.
4) l. l., p. 159, n. 4.
5) in lect. Venus., p. 305 sq.
6) in bibl. graec., III, 558.
7) cfr. Momms. Muenzw. 69 et 70, inscr. R. N., 274 et 275.

Praeterea apud Ciceronem in fine epistulae[1]) cuiusdam legimus: „C. Cupiennio S. Hoc et vehementer, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.“ Nescio an hic sit idem, atque Horatianus, id quod Duentzerus[2]) coniectare videtur.

9) Euander.

S. I, 3, 90 sq.:

„Comminxit lectum potus mensave catillum
Euandri manibus tritum deiecit“

his verbis partim corruptis in cod. Monac. illustrantur: „qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt Euandrum hunc celatorem ac plasten statuarum † Q Marco Antonio ab Athenis Alexandrium transtulisse; inde inter captivos Romam perductum multa opera mirabilia fecisse.“ Hauthalius opinatur Q, i. e. quare, ex „statuarum“ voce perperam ortum, aut ante „quare“ lacunam esse, in qua caelatoris ars laudata fuerit, ita ut pergendum sit: „quare eum M. Antonium“. Meyerus corruptelae notam ante „quare“ ponit, sub textu autem „quaerente“ vel „auctore“ proponit et „se“ post „Athenis“ supplet. Kiesslingius[2]) denique multo probabilius praebet scholium ita: „qui de personis Horatianis scripserunt aiunt Euandrum hunc caelatorem ac plasten. quem M. Antonium ab Athenis Alexandriam transtulisse etc.“; mirum autem, quod deleta est statuarum vox.

Atque primum quidem quaeritur, utrum Euander artifex, ex scholiorum testimonio notus, an antiquus ille rex Arcadum hoc loco significetur.

Bentleius pro scholiastis in medium profert Euandrum illum regem antiqua fuisse paupertate neque nobilium artificum pocula in supellectile habuisse. Tum catillum, quod deiectus frangeretur, fictilem per tam longum tempus integrum servari non potuisse, id quod non est negandum. Jacobsius[3]) contra Bentlei argumentis improbatis Martialem[4]) laudat, apud quem haec sunt:

„Hoc cratere ferox commisit proelia Rhoecus,
Cum Lapithis: pugnae debile cernis opus.

---

1) ad Att., XVI, 14.
2) l. l., p. 9, VII.
3) in lect. Venus., p. 389.
4) VIII, 6.

Hi duo longaevo censentur Nestore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet",

et iam ante Jacobsium Lambinus, Torrentius, Dacerius, alii idem senserant: secuti sunt Heindorfius, Kruegerus, Kiesslingius[1]), alii.

Bentlei contra sententiam probaverunt Thierschius[2]), Muellerus[3]), Funkhaenelius, alii. Estré[4]) ad scholiorum fidem augendam catillos ob antiquitatem pretiosos in cena non adhibitos fuisse affert: sed a Duentzero[5]) non male monitum est illum catillum in mensa propinqua cenae fortasse positum esse. Iure autem ille ex Buttmanno[6]) et Jahnio[7]), qui Evandrum artificem repudiant, propterea quod tum Romae ille non fuerit, quaerit, cur eius opera Romam advecta non fuerint ante ipsius adventum.

Quae cum ita sint, ambiguum nobis videtur esse, utram in partem eamus. Id quidem constat scholium Porphyrionis, licet in locum Horatianum non quadret, atque iniquitate fortunae variatum sit ac mutilatum, tamen scientia veterum temporum praecellere. Atque quoniam in utraque explicatione veri aliquid inest, — catillus enim pretiosus est sive propter antiquitatem originis, sive quia ab artifice quodam magno est factus, — equidem scholiis nitor, quibus tum demum non tribuo fidem, cum causae satis graves sunt allatae.

Eu(v)ander artifex is est, qui Memmio commendatur a Cicerone[8]), pleno nomine C. Avianius Euander, atque conicere licet apud Plinium[9]) eius fieri mentionem: „Timothei manu Diana Romae est in Palatio, Apollinis delubro, cui signo caput reposuit Aulanius Euander", ubi Orellius[10]) „Avianius" emendavit.

---

1) l. l., p. 9, nota.
2) Epochen der bildend. Kunst, p. 303 sq.
3) Archaeologie, p. 413.
4) l. l., p. 430 sq.
5) in Z. f. d. A., 1851, p. 54, cfr. etiam Juv., s. 3, 203.
6) in Mythol., I, 327 sq.
7) in ed. Hor. sec., p. 253.
8) ad fam., XIII, 2.
9) N. H. XXXIII, c. 5, sect. 4, § 20.
10) in onomastico Tull., sub voce.

10) Fabius Maximus Narbonensis.

S. I, 1, 13 loquax notatur Fabius Maximus Narbonensis, quem, equestri loco natum, Pompeianas partes secutum ad Stoicorum philosophiam se applicuisse Porphyrio memoriae tradit. Torrentii coniecturam, qui Fabium illum Maximum[1]), ex Quintiliano[2]) notum, hic intellegendum esse censuit, refellit Wielandius. Quintiliani verba sunt haec: „Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit."

Usque autem eo progressus est in minuenda scholiastae auctoritate Spohnius[3]), ut M. Fabium Gallum, familiarem Ciceronis[4]) et Attici, hoc loco agnosceret. Ex Cicerone autem Fabium illum primum Epicureum, tum Stoicum factum esse demonstrat atque prorsus mirabiliter Pseudoacrone auctore fingit in castris Bruti et Cassii Fabium cum Horatio Epicureo disputasse. Spohnii coniecturae primum quidem Weichertus[5]) ita favit, ut nova argumenta quaerere institueret, quae cum probabilitate prorsus careant, eo magis praeterire licet, quod ipse Pighii[6]) et Orellii[7]) argumentis adductus coniecturam missam fecit;[8]) illi enim locis Tullianis M. Fadium Gallum legendum esse observaverunt.

Probatis igitur iis, quae Porphyrio tradit, fit nobis nova quaestio, utrum „quod", in scholii initio scriptum, genuinum sit necne, atque quid significet. Woelflinus[9]) animadvertit praefigi saepius in codicibus q, ubi de veritate scripturae iam ipsis librariis non constiterit, itemque in marginibus variam lectionem eodem signo praeposito induci solere, quo male intellecto „qui, que, quod" per corruptelam orta sint. Atque Meyerus[10]) ex signo q ‚quod' s. I. 1, 14 et epist. II, 1, 110,

---

1) de hoc P. Fabio Paullo Maximo cfr. Weichert., de Var. et Cass., p. 195, No. 9.
2) instit. orat., VI, 3, 52.
3) in Jahnii ed. sec. Hor., p. 249.
4) cfr. Wetzel., argum. Cic. ad fam. VII, 23; ad fam. IX, 25.
5) in lect. Venus., Grimae, 1843, p. 29 sq.
6) in Annal. ad u. c. 696. Tom. III, p. 373.
7) in onom. Tull., sub voce.
8) l. l., p. 35, n. 16.
9) in prolegom. ad Publilium Syrum (Lipsiae, 1869), p. 16. nota.
10) in ed. Porph., p. VII, nota.

,qui' epist. I, 18, 39, ‚quia' c. I, 13, 6 et c. III, 4, 66 fortasse nata esse suspicatus ea verba delenda putat.

Qui altero [1]) loco, in extrema satira altera, reprehenditur Fabius, cum plurimis viris doctis eundem statuo esse iam ideo, quod nullo ad distinguendum verbo addito, similiter describitur. Pars contra vetustiorum interpretum Cruquiana adnotatione decepta est, qua Fabius iuris consultus appellatur. Sed facile intellegitur hunc Cruquii errorem, ut saepius, ex poëtae verbis: „Fabio vel iudice vincam" ducendum esse.

Iam quaeritur, quo modo haec verba cum antecedentibus coniungenda sint. Scholiastae, quorum verba in codice quoque M. Porphyrionis, magnopere depravata sunt, hic nihil boni habent, velut apud Porphyrionem scriptum est: „Satis urbane significat Fabium pro adultero iudicaturum, si iudex in hanc rem constituatur, qui harum rerum sit et ipse sectator." Quid voluerit scholiastes his verbis, perspicere non possum.

Fabium in adulterio deprensum esse, id quod in scholiis ad s. I, 2, 134 legitur, qualis est fontium condicio, non constat. Ad Hauptium [2]) autem in hac explicatione me applico, etiamsi non intellego, quamobrem ille pro „vel (sogar)" verbum quoddam exspectet, cui subsit sensus „wenigstens".

Itaque poëta eadem de causa, de qua in prima satira Fabium facete urbaneque tangit, poëtica quadam brevitate usus in altera reprehendit haec fere dicens: Exempla, quae attuli, docent in adulterio deprendi miserum esse: quare non affirmo iniuria vel Fabium Stoicum, etiamsi saepe Stoicorum more nihil miserum esse, quod extrinsecus accidat, magna cum loquacitate [3]) protulerit, tamen facere non posse, quin mihi assentiatur.

11) Iarbita (Iarbutha) — Timagenes.

Legimus apud Horatium epist. I, 19, 15—16:

„Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,
Dum studet urbanus tenditque disertus haberi",

atque narrationem de persona Iarbitae (Iarbuthae), Timagenis aemuli, plenissimam illam quidem, apud Porphyrionem, sed ex duobus fontibus compilatam.

---

1) s. I, 2, 134.
2) in Mus. Rhen., III. p. 146—147.
3) s. I, 1, 14.

Priusquam autem accedamus ad Iarbitam, Timagenis naturam et mores attingamus Weicherto[1]) duce, qui peculiarem scripsit disputationem de Iarbita Timagenis aemulatore.

Suidas[2]) igitur ita Timagenis facit mentionem: „*Τιμαγένης, βασιλικοῦ ἀργυραμοιβοῦ υἱός, Ἀλεξανδρεύς, ῥήτωρ, ὡς δέ τινες, Αἰγύπτιος· ὃς ἐπὶ Πομπηΐου τοῦ μεγάλου αἰχμάλωτος ἀχθεὶς ἐν Ῥώμῃ ὑπὸ τοῦ Γαβινίου ἐξωνήθη ὑπὸ Φαύστου, τοῦ υἱοῦ Σύλλου, καὶ ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ, ἐπί τε αὐτοῦ Πομπηΐου καὶ μετ' αὐτὸν ἐπί τε Καίσαρος τοῦ Αὐγούστου καὶ μετέπειτα ἅμα Κεκιλίῳ, ἐκπεσὼν δὲ τῆς σχολῆς διὰ τὸ παρρησιαστὴς εἶναι, ἐν ἀγρῷ διῆγεν Τουσκουλάνῳ λεγομένῳ, ἐτελεύτησε δὲ ἐν Ἀλβάνῳ, ἐμέσαι βουληθεὶς καὶ σφηνωθείς, βιβλία δὲ ἔγραψε πολλά,*“ et alio loco[3]) idem habet haec: „*Εὐαγόρας Λίνδιος ἱστορικὸς ἔγραψε βίον Τιμαγένους καὶ ἑτέρων λογίων* etc.“ De Timagene scripserunt praeterea multi. velut M. Seneca, in cuius Controversiis[4]) haec sunt: „Timagenes, historiarum scriptor, quaedam in ipsum (sc. Augustum), quaedam in uxorem eius et in totam domum dixerat etc.“ L. Seneca[5]), Plutarchus[6]), Quintilianus[7]), Ammianus Marcellinus[8]). Ex virorum doctorum numero, qui illum sub censum vocaverunt, nominandi sunt G. Io. Vossius[9]), Muretus[10]), G. Schwabius[11]), Bonamy[12]), Estré[13]).

De Iarbita contra unum scholium illud habemus Porphyrionis corruptelis non carens. quod apud Meyerum sic legitur: „rupit Iarbuthan Timagenis] exemplum stulti imitatoris interposuit. nam hic Iarbutha Maurus regio genere fuit ortus, qui, dum Timagenem imitatur, post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi quod conabatur ipse

---

1) in poët. lat. rell., p. 391—470, vel rectius — 412.
2) ed. Bernhardy, 1853, I. p. 1124.
3) ed. Bernhardy, I, p. 579.
4) l. V, 34, p. 362, Bip.
5) de ira, III, 21, 2.
6) de adul. et am. discr., vol. VI, p. 250. R.
7) instit. orat. X, 1, 75, I, 10, 10.
8) XV, 9, 2,
9) de Histor. graec., I, 34, p. 102.
10) in var. lect. XIII, 6, p. 303.
11) de Livio et Timag., histor. script. aemul., Stuttg., 1834/35.
12) recherches sur l'histoire de Timag. in mém. des inscript., Tom. XIII, p. 35 sq.
13) l. l., p. 196—97.

diruptus est. alii (omisit Kiessl.) Timagenem ferunt multos [conabatur] adhibere solitum et cenae et declamationi suae dumque ab his multum laudatur, ad imitationem sibi provocasse Iarbuthan, qui sibi et stomacho suppetias abrupit, dum Timagenem et dicendo et pascendo amicos conatur aequare."

In codice quidem Monac. haec leguntur verba: „Maurus regione me fuit cordus[1])", in aliis codicibus ita: „Cordus vel Codrus", quae menda bene correxit Meyerus, cum scripsit: „regio genere fuit ortus", quam coniecturam speciosissimam laudavit etiam Kiesslingius. Ille vir doctus porro de textu Porphyrionis optime meritus pro: „quidammagmem" codicis M. restituit: „qui dum Timagenem" et pro: „magni erunt" cod. M.: „alii Timagenem ferunt". „Conabatur" vocem ex priore versu falso iteratam Meyerus et Kieslingius recte uncis saepserunt: pro „declamatione" cod. M. ponimus cum iis „declamationi", pro: „abimitatione" „ad imitationem".

Ad postremum haec scripta invenimus in codice M.: „qui se & stomacho suppeti subrupit dum timagen", qua ex verborum congerie quid sit eliciendum, antea non est intellectum; nam, ut exemplo utar, Weichertus[2]) simpliciter et incuriose edidit: „qui se et stomachum abrupit". Meyerus primus, ut videtur, veram lectionem in lucem protulit: „qui sibi et stomacho suppetias abrupit, dum Timagenem", eandemque Kiesslingius recepit.

Weichertus Iarbitam nomen fictum esse ratus, ab Iarba ductum, et falsam scripturam Cordi amplexus hoc nomen Mauro illi homini tribuit. Unde profectus eandem personam esse opinatur[3]) Codrum Virgilianum, in eclogis commemoratum, atque, cum Cordi nomen frequentissimum sit apud Romanos, Virgilii quoque locis pro Codro Cordum restitui vult. Quin etiam usque eo progreditur, ut censeat Codrum illum, qui apud Iuvenalem[4]) exstat et apud Martialem[5]), non alium esse et nomen ita ab illis usurpatum esse, ut poëtam aequalem, quem vero nomine dicere verecundarentur, imposito Codri famosi istius recitatoris, nomine, vellent perstringere.

---

1) cordum corruptelam esse iam Duentzerus (Kr. u. Erkl., III, 521, nota) cognoverat.

2) l. l., p. 398.

3) l. l., p. 402 sq.

4) s. 3, 203.

5) epigr. III, 15, II, 57, V, 23, V, 26.

Neque defuerunt, qui hanc Weicherti opinionem universam vel magnam partem probarent, ut Obbarius[1]) et Estré[2]). Optime autem Schwenkius[3]) et Duentzerus[4]) monent loco Horatiano non esse significatum poëtam, sed oratorem vel recitatorem, atque Duentzerus hoc modo recte, ut videtur, rem describit: „Iarbita war wohl Sklavenname: der unglückliche Mensch, der sich in Rom als Rhetor niedergelassen, wollte den durch Witz und Geist ausgezeichneten Timagenes ausstechen etc.“

Tantum igitur abest, ut Bergkium[5]) sequamur, cui Virgilianus Codrus videtur esse Cornificius. Horatianus Juba, Mauritaniae rex litteratissimus, ut omnes illas opiniones e medio tollere possimus, modo ut emendationem Meyeri veram esse iudicemus.

Ad locum denique Horatianum recte interpretandum verba ita coniungemus: „linguam Iarbitae aemulam Timagenis“ neque loco „aemula lingua“ aemula coena“ ex duobus Blandiniis codicibus Cruquii et aliquot Torrentii recipere debemus, quae scriptura, a nonnullis[6]) defensa, minime probabilis est.

12) Labeo.

S. I, 3, 82:

„In cruce suffigat Labeone insanior inter
Sanos dicatur.“

M. Antistium Labeonem scholiastae notari volunt, clarissimum illum iurisconsultum. Atque fuerunt, qui scholiastarum fidem corroborare conarentur, ut Weichertus[7]), Duentzerus[8]), Estré[9]). Sed frustra, nam rectissime plurimi viri docti de alio Labeone hic cogitaverunt. M. Antistius Labeo[10]), qui

1) in epist. T. II, p. 505–6.
2) l. l., p. 198–200.
3) in Mus. Rhen. nov., I, p. 469 sq.
4) Kr. & Erkl., III, 521, nota.
5) Cornificius Longus auctore Servio ad Virg. Aeneid., III, 332; cfr. Bergk., de Cornificio, in ind. schol. aest., Marb. 1843.
6) Sanadon. l. l., tom. VI, p. 298; et Horkel., in Analect. Hor., p. 25 sq.
7) in lect. Venus., p. 33–41.
8) Kr. & Erkl., II, 112.
9) l. l., p. 189.
10) cfr. Rudorff, röm. Rechtsgesch., I, 178 sq., L. Borchert, num Antistius Labeo, auctor scholae Proculianorum, stoicae philosophiae fuerit addictus, Vratisl., 1869, tria cap., A. Pernice, röm. Privatr. im 1. Jhrd. der röm. Kaiserz., I, Halae, 1873.

una cum C. Ateio Capitone decus patriae appellabatur[1]), quique ab Augusto inter triginta nominatus est, quorum arbitratu senatus legeretur, omnino non tam acerbe vel atrociter atque iniuste vellicari potuit a poëta.

Maxime vero temporum rationes Weicherti opinioni obstant. Nam ex Wielandii[2]) perquam probabili ratiocinatione M. Antistius Labeo a. u. 696 natus est, id quod concedere Weichertus ipse cogitur; inde sequitur iurisconsultum illum eo tempore, quo satira scripta est, a. u. 715 vel 716, viginti fere annorum fuisse. Weichertus[3]) autem talem in modum argumentari pergit, cum dicit, quod eo tempore vir iuvenis fuerit suique iuris, nihil obstare, quominus suspicemur eum aliquando a servo quodam levis delicti causa tam duram sumpsisse poenam, ut insani nomen apud aequales inveniret. Certe haec suspicari licet de M. Antistio Labeone, sed eodem iure etiam de alio Labeone.

Iam M. Antistium Labeonem in scholiis proferri mirum non est, quod apud veteres notissimus erat Labeonum, inveneruntque scholiastae causam, cur poëta eum ipsum perstrinxerit, quam ad Horatii locum non pertinere[4]) nemo non videt.

Itaque de alio Labeone, homine tum insanissimo, nobis prorsus ignoto, cogitare debemus, neque Bentleium secuti Labienum[5]) illum, propter rabiem vocitatum Rabienum, recipiemus, quae quidem scriptura nullius codicis habet auctoritatem[6]).

13) Licinus.

Tangitur ab Horatio epist. II, 3, 301 tonsor Licinus, et in scholiis Cruquianis legitur adnotatio, cui simile est scholium ad Persii sat. II, 36.

Scholium enim comm. Cruq. sic se habet: „Licinus.] nomen tonsoris famati, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompeium, de quo hoc scriptum est epitaphium:

---

1) Tac. Annal., IV, 75.
2) in Hor. sat., I, p. 102.
3) l. l., p. 40.
4) cfr. contra Suet. Aug., cap. 54.
5) cfr. Seneca, Controv., praef. ad l. V. (X, p. 292, 2. ed. Bursian.)
6) cfr. Weichert., de Var. et Cass., p. 321 et lect. Venus., p. 37.

marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo
Pompeius parvo: quis putet esse deos?"

atque scholium Persianum sic: „alii volunt Licinium tonsorem ac libertum Augusti Caesaris significari praediviten, cuius monumentum est pretiosi operis [sepultus] via Salaria prope urbem ad lapidem secundum. De hoc homine non invenustum Varronis epigramma fertur:

marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo: quis putet esse deos?"

Ab utroque autem scholiasta vetus fons est interpolatus, sive breviatus sive dilatatus, quamquam Kiesslingius[1]), ut videtur, interpolatorem unum existimat Cruquium. Ut opinionem meam demonstrem, apud Persii scholiasten habemus falsam lectionem „Licinium" et interpolationem vocis „sepultus". Quid? quod in epigrammate Pompeio nullum fuisse tumulum legitur, quae lectio Plutarchi[2]) loco repugnat, atque quod Varro, quem appellat epitaphii auctorem, iam ante Licinum mortuus est? Cruquii vero scholium, item interpolatum, tamen mihi videtur esse praeferendum.

Licinum notissimum illis temporibus fuisse Gallum, a Caesare captum, tum ab eo dispensatorem factum atque manumissum habemus compertum eumque simili favore usum esse apud Augustum, cuius procurator fuit in Gallia[3]) anno a. Chr. n. 16 et 15. Tiberio imperante obiit homo praedives[4]).

Liceat mihi nunc colligere partem quandam eorum locorum, ex quibus perspiciatur, utrum Licinus Horatianus idem sit, atque Licinus aliorum scriptorum necne. Juvenalis duo sunt loci, quorum unus s. I, 109:

„Ego, inquit (sc. libertinus superbiens), possideo plus
Pallante et Licinis",

alter s. XIV, 305/6:

„Dispositis praedives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus iubet".

Deinde apud Persium, s. II, 36 legimus:

---

1) l. l., p. 9.
2) vita Pomp., cap. 80.
3) cfr. Dio Cass., LIV, 21.
4) cfr. schol. Juv. ad s. I, 106.

„Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in agros“, atque apud Martialem[1]):

„Altaque cum Licini marmora pulvis erunt“.

Huc accedit Macrobii sat. V, 4 atque aliorum scriptorum testimonia, in quibus semper fere Licinius legitur. Conferas Dionem, Senecam[2]), apud quem est: „Lugduni Licinius multos annos regnavit“, Suetonium[3]), Sidonium Apollinarem[4]), a quo enumerantur potentes Caesarum liberti et delatores, Narcissus, Asiaticus, Massa, Marcellus, Carus, Parthenius, Licinus, Pallas.

Atque magna quidem pars virorum doctorum recte ab his Licinis secernit Licinum Horatianum, velut Duentzerus[5]), Hauthalius[6]), O. Jahnius[7]), Paldamus[8]), Dillenburgerus, alii.

Nonnulli autem cautius aliquanto ambiguam relinquunt rem, ut Madvigius[9]), cui non est incredibile illam operam ante manumissionem Licinum dominis praestitisse, satisque id Horatio fuisse ad eum tonsoris nomine et munere ornandum, praesertim cum Persii quoque scholio tonsor ac libertus Augusti Caesaris appellaretur. Contra ipse monet Augustum vix eo homine in tali ministerio abusum fuisse, quem procurationi idoneum iudicaret. In medio etiam Estré[10]) rem relinquit. Equidem dubitationes illas, quae de his scholiis motae sunt, non improbo, sed Madvigium secutus, et P. Alfenii Vari iurisconsulti, antea tonsoris, (s. I, 3, 130 sq.), et Tigellii Sardi, item Caesaris et Augusti familiaris, memor a scholiastarum illorum narratione, hausta ex vetere fonte, non omnino abhorreo.

1) VIII, 3, 6.
2) in ludo de morte Claudii, c. 6: praeterea cfr. ep. CIX, 10 et CXX, 20.
3) Aug., cap. 67.
4) l. V, ep. 7.
5) Kr. & Erkl., IV, 501 2. nota.
6) ad Pers., p. 134 sq.
7) in Zimmerm. Z., 1837, p. 853.
8) in Zimmerm. Z., 1840, p. 1131.
9) opusc. acad., II, p. 202 sq.
10) l. l., p. 561—562.

Ceterarum personarum descriptionem, in quibus operam collocavi, alio loco publici faciam iuris.

Vita.

Natus sum, Siegfriedus Jaffé, Krotoschini, in urbe Posnaniae, die XX. mensis Augusti a. 1859, parentibus iudaïcis, patre Heimanno, matre Lina, e gente Gotthelf, quibus vivis vehementer gaudeo.

Huius urbis in gymnasio, quod primum a Gladischio gubernabatur, tum et nunc quoque a Leuchtenbergero, ab anno 1870 usque ad annum 1879, elementis litterarum instructus sum, cum antea inde ab anno 1866 scholam frequentaverim universalem; atque magnam habeo gratiam et Leuchtenbergero et Guenthero, praeceptoribus meis benevolentissimis.

Maturitatis testimonio accepto in universitatem Berolinensem Friedericam Guilelmam me contuli, ubi per octo semestria, multifariam quidem, quod doleo, rebus privatis impeditus, in studiis philologicis, philosophicis, germanicis operam collocavi, paulumque etiam attigi studia franco-gallica et historica. Audivi lectiones clarissimorum virorum Curtius, Geiger, Huebner, Kirchhoff, Lazarus, Muellenhoff, Paulsen, Scherer, Tobler, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Veniam mihi dederunt ad exercitationes suas frequentandas Kirchhoff per unum semestre ad epigraphicas atque Vahlenus et Huebnerus per tria ad philologicas, maximeque gratias ago Huebnero, per quem, ut hanc materiam tractarem, sum adductus.

De metris Horatii lyricis.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo philosophorum ordine

in academia regia Christiana-Albertina Kiliensi

impetrandos conscripsit

et una cum sententiis controversis

die XIX mensis Junii hora post XII dimidia

in aula academica

publice defendet

Carolus Bock,

Ratzeburgensis,

gymnasii Rendsburgensis praeceptor.

Adversariorum partes suscipient:

Dr. phil. A. Biese, }
Dr. phil. E. Schwartz, } gymnasii Kiliensis praeceptores.
Dr. phil. Th. Harmsen.

Prostat apud E. Ehlers, Rendsburg.

Ex officina C. F. Mohr (P. Peters) Kiel.

1880.

Imprimatur:

G. Hoffmann,

h. t. decanus.

Patri carissimo s.

Horatius quanto opere quamque ad normam tota c mina sua e Graecis expresserit, quidquid contra viri docti nisi sunt, propter fragmentorum lyricae Graecorum poësis nobis servatorum paucitatem nunc certo demonstrari atque dijudicari nequit. Planius intellegitur, complura singula enunciata verbaque et varium multiplicemque orationis ornatum Horatium a Graecis petivisse. Quo in genere quae pro tempore indagare atque investigare licet, ea post Arnoldum [2]) et Garckium [3]), ut veteriores omittam, Thallwitzius [4]) collegere coepit, cuius commentationis posterae partes nondum in lucem prodierunt.

Idem Horatius quousque metris suis lyricis Graeca metra imitatus quibusque ab auctoribus sua mutuatus sit, nondum satis constat. Quamquam enim de ratione, quae inter eius et lyricorum Graecorum metra intercedat, multa observarunt imprimis G. Hermannus [5]), R. Westphalius [6]),

---

[1]) E magno interpretum aliorumque virorum doctorum numero unum eundemque audacissimum nominare satis habeo: Campium, qui in commentatione, cui inscripsit: Horaz und Anakreon, inserta in Philolog. XXXI. 1872. p. 667 sqq., complura Horatii carmina Anacreonti vindicare frustra meo quidem judicio conatus est.

[2]) Th. Arnold. Ueber die griechischen Studien des Horaz. 2 Progr. Halle. 1855.56.

[3]) Q. Horatii, Flacci carminum librum I collatione scriptorum Graec. illustr. H. H. Garcke. — Quaestionum de graecismo Horatiano pars prior. Halis 1860.

[4]) E. Thallwitz. De Horatio Graecorum imitatore specimen prius. (Diss. inaug. Lipsiensis). Doebelni 1874.

[5]) G. Hermann Elementa doctrinae metricae. Lips. 1816.
id. Epitome doctrinae metricae. ed. II. Lips. 1854.

[6]) R. Westphal (und A. Rossbach) Griechische Metrik. 2. Aufl. Leipzig. 1868. (Rossbach und Westphal. Griechische Metrik im Verein mit den übrigen musischen Künsten. 2. Aufl. Band 2.)

L. Muellerus[1]), W. Christius[2]), H. Schillerus.[3] [4]), haec dispersa sunt nec sub unum quasi aspectum collocata; neque omnia viri docti complexi sunt; nec de omnibus, quae attulerunt, satis recte disputasse, sed saepius, cum praesertim scriptorum artis metricae veterum testimonia nimis neglegerent, verum parum intellexisse videbantur. Quibus incommodis ut accurata Horatii metrorum lyricorum cum lyricorum poetarum Graecorum metris comparatione, quantum possem, mederi conarer, nequaquam a studiis meis alienum esse putavi. Neque tamen his artioribus quodammodo finibus disputatio apte circumscribi, sed Catulli quoque, qui primus perfectior excultiorque vates lyricus apud Romanos exstitit, metrorum comparatione opus videbatur esse, qua fieri non potest, quin planius Horatii ratio atque proprietas appareat.

---

[1]) L. Müller. De re metrica poetarum Latinorum praeter Plautum et Terentium libri septem. Lips. 1861.
id. Rei metricae poetarumLatinorum praeterPlautum etTerentium summarium. Petropoli 1878.
id. Libellus de metris Horatianis in editionis Horat. praef. p. LIII—LXXX.

[2]) W. Christ. Die Verskunst des Horaz im Lichte der alten Ueberlieferung. (Sitzungsberichte der königl. bair. Akademie d. Wissensch. 1868. I. p. 1—44.)
id. Metrik der Griechen und Römer. Leipzig 1874.

[3]) H. Schiller. Die lyrischen Versmasse des Horaz. 2. Aufl. Leipz. 1877.

[4]) Quos praeterea et praeter editiones Horatii Keller-Holderianas (ed. mai. 2 voll. Lips. 1866 — 67.—ed. min. Lips. 1878). Meinekianam (ed. II Berol. 1854,) L. Muellerianam (Lips. 1870). Bentleianam (ed. III. 2 voll. Berol. 1869), Orellianam (ed. III cur. Baiterus 2 voll. Turici 1850. 52), Ritterianam (2 voll. Lips. 1856. 57) Peerlkampianam (ed. II. Amstelod. 1862), Nauckianam-Kruegerianam (7 Aufl. Leipzig 1871. 72); — Acronis et Porphyrionis commentariorum in Q. Horatium Flaccum Hauthalianam (2 voll. Berol. 1864. 1866); — poetarum lyricorum Graecorum Bergkianam (ed. III. 3 voll. Lips. 1866. 67); — Callimachi Meinekianam (Berol. 1861); — Theocriti Fritzscheïanam (ed. II. 2 voll. Lips. 1865. 69); — Catulli Ellisianam (Oxonii 1867), L. Muellerianam (Lips. 1874); — grammaticorum Latinorum Keilianam (voll. I. IV. VI. Lips. 1857. 64. 74); — Hephaestionis Westphalianam (Lips. 1866); — libros adhibui, cum singulis locis nominaturus sim, hic in universum etiam afferam: W. S. Teuffel Geschichte der römischen Literatur. 3. Aufl. Leipzig 1875. W. Mewes Berichte über die Horazliteratur der Jahre 1874—78 in: Jahresberichte des philologischen Vereins zu Berlin 1876 p. 210—237; 1877 p. 300—335; 1878 p. 134—170; 1879 p. 78—130.

Quibus breviter praemissis jam ad ipsum propositum mihi pergere liceat et quaestionem ita instituere, ut uno capite singulorum versuum formationem a Horatio in usum vocatam Graecorum comparatione illustrem, altero carminum compositionem. Cum vero etiam Catulli poesin artemque comparare animum induxerim; ita agam, ut singula eius metra singulis Horatianis, quibuscum conspirant, addam, deinde in fine commentationis de mutua Catulli, Horatii, lyricorum Graecorum inter se necessitudine in universum disputem.

Cap I. De singulorum versuum formatione.

Metra omnia aut simplicia sunt aut mixta; horum duo genera: dactylo-trochaicum et logaoedicum apud Horatium inveniuntur; illorum e numero generibus pari et duplici usus est. Itaque

§ 1. de versibus dactylicis

exponam. Atque in dactylicis versibus formandis Horatius non poetas Lesbios, qui primo pede ut basi usi has ejus habent formas: — — ; — *v* ; *v* — ; *vv*, in reliquis vero pedibus praeter ultimum semper puros dactylos, nunquam spondeos ponunt, sed ceterorum lyricorum cum poetis epicis et dramaticis et omnibus poetis Latinis communem usum secutus est; idemque Catullus fecit. Quatenus vero Graecorum dactyli pro *τετρασήμοις*, quatenus pro *τρισήμοις*, qui *κύκλιοι* vocantur habendi sint, viri docti, imprimis G. Hermannus et Westphalius magno opere dissentiunt. Sed cum utriusque generis dactylorum leges eaedem sint, ea quaestio ad nostrum propositum propie non pertinet et brevissime sententiam meam profiteri satis habeo, de puris metris dactylicis adhuc sub judice litem esse; eos autem dactylos, qui in metris dactylo-trochaicis et logaoedicis inveniuntur, certe *κυκλίους* esse.

Exordium proficiscitur ab hexametro dactylico, quo Horatius in carminibus et epodis usus est ratione epodica conjuncto cum aliis versibus dactylicis et cum versibus iambicis. Quo in formando singulas pedum et caesurae leges, quae notiores sunt, quam ut hoc loco repetam, et ipse servavit; sed propria quadam arte servavit. Nam secundum Schillerum l. l., qui singulos numeros diligenter et nonnullis exceptis recte conquisivit, in 123, qui apud Horatium inveniuntur, hexametris spondei in 1 pede 42, in 2 58, in 3 76, in 4 85, in 5 4, in 6 88 leguntur; caesura semiquinaria 114ies, semiseptenaria 7ies, post tertium trochaeum bis exstat.

Spondeus igitur in 3 et 4 pede saepius, quam dactylus, in 6 pede quam trochaeus adhibitus est. Quod quamquam in universum ex omni linguae Latinae natura atque indole pendet, tamen eiusmodi leges diu constitutas arbitrio uniuscuiusque fere poetae conformari et temperari, Drobischius et Hultgrenius [1]) luculenter demonstrarunt.

Magis etiam Horatii ars in 5 pede formando apparet. Neque enim spondeum voluit admittere, nisi perraro in tetrasyllabis nominibus propriis vel adjectivis a nominibus propriis derivatis [2]), scilicet his: ep. 13,9 Cyllenea; 16,17 Phocaeorum; 16,29 Appenninus; carm. I, 28, 1 Orionis. Tam severam normam poetarum Graecorum veterum nemo sibi praescripserat, sed quamquam plerumque dactylum ponebant, tamen a spondeo nequaquam abhorrebant. Contrariam vero, quam Horatius, rationem Catullus adhibuit,

---

[1]) Drobisch: Ein statistischer Versuch über die Formen des lat. Hexameters in: Berichte über d. Verhandl. d. königl. sächs. Gesellschaft d. Wsch. zu Leipzig. Philol.-hst. Classe 1866 p. 75—139. 1868 p. 16—65.

Cf. etiam: Ueber die Classification der Formen des Distichon. ibid. 1871 p. 1.—33 1872 p. 1—28 (Hultgren).

[2]) Epist. II 3,467 etiam participium tetrasyllabum admisit: occidenti.

qui saepe et cum studio quodam spondeo usus est, — poetas Alexandrinos nimirum ille imitatus [1]; sed in fine hexametri spondiaci et ipse plerumque vocabula tetrasyllaba, rarius trisyllaba posuit: haec quidem 8 ies, illa 32 ies in 796 hexametris. Qui numeri cum a L. Muelleri (edit. Catull. praef. p. LXV) aliquanto differant, singulos locos afferre non inutile videtur; vocabulo enim tetrasyllabo terminantur versus spondiari: **64**,3 [2]) 11. 15. 24. 28. 36. 67. 71. 78—80. 83. 91. 98. 108. 119. 255. 258. 269. 274. 277. 286. 301. 358. **66**,41. **68**,67. 89. 91. 107. 111. **100**,1. **116**,3; vocabulo trisyllabo: **64**,44. 74. 96. 252. 291. 297. **65**,23. **66**,57.

Deinde caesuram, quae post tertium trochaeum vocatur, quod perraro Horatius admisit, idem reliqui quoque poetae Latini fecerunt, parum virilem eam et sonoram putantes cf. L. Mueller d. r. m. 183 sqq., cum Graeci poetae in ea non offenderent. cf. Westphal l. l. ² II 334 sq. Alcmani fr. 26,3 B. *ὅς τ' ἐπὶ κύματος ἄνθος ἅμ' ἀλκυόνεσσι ποτῆται.* fr. 27 *Πολλαλέγων ὄνυμ' ἀνδρί, γυναικὶ δὲ Πασιχαρῆα* al. Apud Horatium igitur haec caesura bis invenitur: ep. 15,9; carm. I 28,15; nam Schillerum l. l. p. 9 sine justa causa altero loco caesuram semiquinariam statuere:

naturae veri | que sed omnis una manet nox

inde satis intellegitur, quod priore loco idem fieri nequit:

intonsosque agitaret | Appollinis aura capillos.

Catullus post III trochaeum 8 ies incidit: **64**,21. 115. 141. 206. 291. **6**,41. **68**,39. **116**,7.

Caesuram semiseptenariam Romani magis, quam Graeci

---

[1]) Cf. Haupt opusc. II 78.

[2]) Editionis Ellisianae numeris utor.

adamaverunt; apud Horatium 7ies invenitur. Eius elegantissima existit forma, si cum caesuris et semiternaria et post III trochaeum conjungitur, quod Horatius 6ies: ep. 12,5. 15. 13,3. 16,21. carm. I 7,29. 28,5, Catullus 56ies fecit: **62**,5 = 10. 13. 16. 19 = 25 · 31 — 47. 54. 56. 57. 65. 69. 70. 72. 75. 76. **64**,6. 23. 54. 72. 79. 85. 135. 137. 146. 148. 156. 166. 173. 218. 232. 253. 266. 274. 285. 288. 324. 384. 392. **66**,35. 69. 85. **67**,27. **68**,91. **73**,3. **75**,1. 3. **76**,3. **77**,9. **83**,1. **86**,3. **99**,3. **101**,5. **104**,1 **109**,1; minus elegans forma est, si tantum cum caesura post III trochaeum conjungitur quod semel Horatius: carm. I 28,29 (nam cum Schillero l. l. caesuram semiquinariam: »ab Iove Neptuno | que sacri custode Tarenti« neque hoc loco statuerim), 11ies Catullus fecit: **62**,9. **64**,73. 152. 178. 195. 227. 271. 405. **65**,11. **67**,39. **68**,83; praeterea Catullus quater caesuram semiseptenariam cum sola semiternaria conjunxit: **64**,18. 128. 193. **66**,57.

Quâ arte Horatius carminum et epodorum hexametros[1]) expoliverit apparet. Nam caesuram semiquinariam, qua numerosior versus, quam ceteris decurrit, in 123 versibus 9ies modo, sive in quarto decimo quoque versu semel neglexit. Quae caesura et omnium optime sonat et hexametri ipsius origine satis probatur, si quidem verum est, quod docte et summa cum veri specie Bergkius [2]) statuit, eum metrorum antiquissimorum, tripodiae dactylicae in syllabam catalecticae et versus paroemiaci compositione ortum esse. Quamquam eius origo e Graecorum sensibus antiquitus evanuit, ut caesuram post III trochaeum non minus fere adamarent; donec temporibus Alexandrinis inepta illa caesura bucolica in usum veniret, quam nec Catullus nec

---

[1]) De satiris et epistolis idem praedicari nequit, quippe quas Horatius consulto sermoni vulgari ac cotidiano accommodaverit.

[2]) Bergk. Ueber das älteste Versmass der Griechen. Progr. Freiburg 1854.

reliqui poetae Latini, qui aliis in rebus Alexandrinorum vestigia premerent, adoptare ausi sunt. Horatii arte tamen Catullus, quamquam et ipse satis elegans, aliquanto inferior est, cum in 796 hexametris 79ies caesuram semiquinariam neglexerit sive in decimo quoque versu semel.

Unum, cum hiatus productiones cetera Graecorum comparatione non illustrentur, sed e legibus Latinae linguae propriis pendeant, reliquum est, in quo Catullus severiorem sibi, quam Horatius, normam praescripsit, quae num eadem etiam elegantior sit, magno opere dubito. Nam poetas Alexandrinos [1]) secutus Catullus in hexametro post quartum trochaeum nunquam vocis clausulam admisit, quam nec veteres poetae Graeci vitabant (cf. Alcm. fr. 27 supra allatum) et apud Horatium habes his locis: carm. I 7, 3.27. 28, 1.23.25. IV 7,5, nunquam in epodis. Quare quod etiam L. Muellerum fugisse miror, veri simile est, Horatium in epodis et ipsum Alexandrinorum legem consulto servasse, postea vero neglexisse et respuisse, cum eam nimis arteficiosam esse intellegeret.

Proxinus tetrameter dactylicus catalecticus in disyllabum est, quem Horatius adhibuit ep. 12 carm. I 7. 28. E Graecis nunc comparari possunt haec:

Archil. fr. 98 *φαινόμενον κακὸν οἴκαδ' ἄγεσθαι.*
Alcm. fr. 33,4 *ἔτνεος, οἷον ὁ παμφάγος Ἀλκμάν*
33,6 *οὔτι γὰρ ἠὺ τετυγμένον ἔσθει*
7 *ἀλλὰ τὰ κοινὰ γάρ, ὥσπερ ὁ δᾶμος*
fr. 34,2 *θεοῖς ἅδῃ* [2]) *πολύφαμος ἑορτά*
fr. 34,4 *οἷά τε ποιμένες ἄνδρες ἔχουσιν.*
Sapph. fr. 27,1 *σκιδναμένας ἐν στήθεσιν ὄργας.*

---

[1]) Cf. Haupt l. l. (opusc. II 78).
[2]) Hermanni conj. *θεοῖσιν ἅδῃ* mihi opus non videtur esse.

2 incertus est.

Anacr. fr. 67 ἀδυμελὲς χαρίεσσα χελιδοῖ.

68 μνᾶται δηὖτε φαλακρὸς Ἄλεξις.

Ex his, quamvis pauca sint, satis apparet, dactylos et spondeos a Graecis sine discrimine positos esse et nullam caesuram exstitisse; quos Horatius prorsus secutus est cf. mensorem cohibent Archyta I 28,2

saeva caput Proserpina fugit
debita jura vicesque superbae.

Quod in primo, quem attuli Horatii versu tertius pes spondeus est qui alias hoc loco non exstat, putandum est, neque id ab Horatio novatum, sed a Graecis, quamvis nunc exemplis probari non posset, et ipsis interdum admissum esse. Apud Catullum tetrameter dactylicus non reperitur.

Iam trimeter dactylicus catalecticus in syllabam apud Horatium exstat in carm. IV 7; quem versum e lyricorum Graecorum numero Archilochus praeter ceteros adamaverat et cum diversis metris conjungere solebat. cf. fr. 89. 93. 104. Cujus exemplum Horatium sibi proposuisse, etiamsi Terent. Maur. 1807 sqq. disertis verbis non testaretur, inde concludi deberet, quod uterque tantum puros dactylos, nunquam spondeos in hoc versu admisit.

Denique dimetro dactylico catalectico in disyllabum, qui adonius appellatur, in strophis Sapphicis Horatius prorsus e Graecorum more huius formae: — *vv* — $\bar{v}$ usus est; idemque Catullus in carm. 11 et 51 fecit.

§ 2. De versibus iambicis et trochaicis.

A. De versibus iambicis.

In iambis formandis se Archilochum secutum esse, cum ipse Horatius disertis verbis profiteatur loco celebratissimo ep. I 19, 23 sqq:

»Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben,«
ab hoc nos in comparando proficisci oportet.

Atque primum quidem, ut par est, de trimetro iambico dicatur, qui exstat apud Horatium in ep. 1—10. 11. 16. 17, apud Catullum in carm. 4. 29. 52. Archilochus, ut reliqui poetae Graeci, in primo tertio quinto pedibus trimetri spondeum admisit; idem syllabas longas interdum solvit et in nominibus propriis cf. fr, 20. 25,1. 26 et in aliis vocabulis cf. fr. 21,4. 25,3. 46. Quem Horatius prorsus imitatus est in ep. 1—10. 11. 17; nam in his in 278 trimetris

in	1	2	3	4	5	pedibus
spondeus	117ies	—	172ies	—	142ies	
dactylus	9ies	—	ter	—	—	
anapaestus	ter	—	—	—	quater	
tribrachys	semel	11ies	5ies	bis	—	

inveniuntur et solutionum pars in nomina propria, pars in alia vocabula cadit.

Qua a ratione epodus 16 plane abhorret. Nam in 33 trimetris hujus carminis Horatius omnino bis spondeo usus est, semel tertio loco: Etrusca v. 4, semel primo loco: Etrusca v. 40; ceterum semper puros iambos posuit. Quod casu factum esse nequit, cum praesertim Catullus quoque in c. 4 et 29 non nisi puros iambos admiserit.

Sed cave putes Horatium id fortasse fecisse, quia hanc trimetri formam pro antiquissima haberet, quod eum sibi persuasisse ex epist. II 3, 251—262 perverse, ut mihi quidem videtur, interpretes, quot inspexi, omnes et Christius l. l. p. 336 concluserunt. Atque primi tres hujus loci versus perspicui sunt. Horatius enim huic versui quamvis e

sex pedibus constaret, trimetri nomen ideo datum esse dicit, quia pes citior esset, quam qui per monopodias scanderetur; sive iambos per dipodias scandi contendit. Qui sequuntur versus difficiliores intellectu et inter conclamatissimos sunt. Equidem ex infinita fere disputandi copia[1]) pauca decerpam, quae omnium probabilissima, quamvis et ipsa parum probabilia mihi videntur. Nam »primus ad extremum similis sibi« cum antecedentibus viri docti conjungunt et hanc eliciunt sententiam: trimetrum iambicum initio sex paribus sive puris iambis compositum fuisse; verumtamen num »similis« idem hoc loco valeat, ac »par«, certe dubitari potest. Jam de sequentibus verbis in diversissimas partes interpretes discedunt: sed eorum sententias, qui »non ita pridem« ad Latinos poetas vel veteres vel recentiores trahere conati sunt, Orellius et Ritterus merito et luculenter refutarunt et suo jure Ritterus monet: »In re incerta hoc ante omnia teneamus, loqui Horatium de trimetris Graecis ac de temperamento trimetri a Graecis usurpato; ad Latinos demum in fine versus 258 pervenit«. Ipse Ritterus »non ita pridem« ad scenicos poetas Graecos spectare opinatus est, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, quibus Archilochus opponeretur. Hunc, cum illi spondeos in trimetris saepius ponerent et carmina fecisse iambica, in quibus meros iambos admitteret, quae Horatius et Catullus imitati essent, et in iis, ubi ipse spondeos sibi permisisset, rarius tamen eos admisisse et ita, ut Horatius eius iambos pro puris acciperet (sic!) sive rariores spondeos non moratus sive eiusmodi exemplo carminum Archilochi usus, in quo *τρίμετροι* deessent (sic!). Sed unde haec omnia Ritterus cognovit? Fortasse e Mario Plotio p. 518,3 sqq. K Verum is quod trimetrum purum

---

[1]) Veteriora collecta habes a Düntzero Kritik und Erklärung der Episteln des Horaz. II. Braunschweig 1844.

Archilochium vocat, ab Horatio pendet, quem neque ipse recte intellexerat: nam et quem affert versum Archilochi: πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε; casu modo purum factum esse neque omnino rem aliter se habere atque apud poetas scenicos, qui et ipsi puros trimetros saepius finxerunt[1]), ex eiusdem epodi (fr. 94 B.[3]) tertio versu concludi debet: ἃς τὸ πρὶν ἠρήρεισθα· νῦν δὲ δὴ πολύς; et ipse Plotius se Horatium secutum esse profitetur: »sic enim Horatius de metro iambico docet cet.« Et contrarium, quam Plotius, Hephaestion c. 5 p. 17 W. testatur neque ullum Archilochi et poetarum scenicorum discrimen statuit, quod jure eum fecisse fragmentis nobis servatis luculenter comprobatur. Ritterum igitur falsis rebus uti apparet; neque omnino ne leviter quidem Horatius significavit, se Archilocho poetas Graecorum scenicos opponere voluisse, sed prorsus e libidine id poetae Ritterus supposuit.

Neque vero melius, quam Ritterus Orellius »non ita pridem« de tempore infinito accipiens, »quod«, ut ipsius verbis utar, »ei, qui loquitur cum omni aevo comparatum propter qualemcunque rationem brevius, quam fortasse alii videtur.« Horatii verbis hunc sensum tribuit: »Quod ad θεωρίαν et legem huius versus attinet, esse debebat atque initio fortasse fuit senarius purus, ut πάτερ Λυκάμβα cet; sed paulatim, quo gravior evaderet, invaluit mos, ut sedibus imparibus reciperetur etiam spondeus«. Profecto Horatius satis obscure locutus esset si hoc sibi voluisset. Verum hanc eius sententiam fuisse, quamquam etiam scriptores rei metricae veteres censuerunt, Mar. Victor. 132,11 sqq. Atil. Fortun. 286,11 sqq. Terent. Maur. 2196 sqq. Mar. Plot. 518,3 sqq., quos suam trimetri explicationem e loco Horatiano, de quo agimus, petivisse alii ipsi fatentur, de

---

[1]) Cf. Rumpel in Philol. 25 p. 471 sqq. ib 28 p. 599 sqq.

aliis manifestum est, equidem mihi persuadere non possum. Nam ea trimetri libertas, per quam in sedibus imparibus spondeus ponitur, antiquissima et genuina est et inde orta, quod e tribus dipodiis versus concrevit: ⏑ | — ⏑ — ⏑̄ | — ⏑ — ⏑̄ | — ⏑ ⏓. Horatium autem non e singulis sex pedibus, quod etiam nunc Christius l. l. p. 335 perperam contendit, sed e tribus dipodiis trimetrum formatum putasse cum supra justa vv. 251—253 interpretatione viros doctos secutus effecerim [1]), nihil a verisimilitudine magis abhorret, quam statuere, eundem solos iambos puros pro pedum forma principali habuisse. An, si reapse hoc sibi persuasisset, in uno modo carmine (ep. 16) puros trimetros continuaturus erat, et in eo quidem, quod omnium primum [2]) scripsit? Denique qua fronte Horatius »non ita pridem« sive nuper demum spondeos imparibus locis trimetri admissos esse, contendere potuit, quos inde ab Archilochi inventoris temporibus semper in usu fuisse sciebat? id enim neque vero, quod vult Orellius, trimetros puros »esse debuisse et initio fortasse fuisse« Horatius aperte contendisset.

Ne longum faciam, quoad eam, quae vulgo fertur interpunctionem teneamus cum magis magisque difficultatibus implicemur, equidem non dubito, quin ita potius totus locus distinguendus sit:

»Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus.
»Pes citus; unde etiam trimetris accrescere jussit
»Nomen iambeis, cum senos redderet ictus.
»Primus ad extremum similis sibi non ita pridem,
»Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
»Spondeos stabilis in jura paterna recepit

[1]) Cf. etiam sat. I 10.43 pede ter percusso.

[2]) Cf. Franke Fasti Horatiani. Berolini 1839 p. 45, cujus temporis descriptionem (41 a. Chr.) recte nunc plerique sequuntur, cum injuria alii hunc epodum anno aut 36 aut 32 | 31 a. Chr. tribuant.

›Commodus et patiens, non ut de sede secunda
›Cederet aut quarta socialiter. hic et in Acci
›Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
›In scaenam missos magno cum pondere versus
›Aut operae celeris nimium curaque carentis
›Aut ignoratae premit artis crimine turpi.‹

Sententiarum nexus hic est: Horatius cum in antecedentibus versibus de elocutione in fabulis satyricis adhibenda egerit, in vv. 251 sqq. docet rei metricae eximiam habendam esse, etiam si plerique metrica vitia non sentiant (cf. vv. 263 sqq). Quod quo magis perspicuum fiat, vv. 251—262 exempli gratia trimetrum iambicum a veteribus poetis Latinis parum diligenter expolitum affert, hoc ordine usus: ›Jambus e brevi et longa syllaba constans cum citus pes esset, factum est, ut seni pedes per dipodias compositi trimeter vocarentur. Aequabilis decurrens olim (sc. apud Graecos) non ita, ut tardior graviorque fieret, spondeos in proprias suas sedes (sc. pares) admisit, non ita, ut de sede secunda vel quarta cederet. Hic (sc. is, qui in sedes pares spondeum recipit; nam Horatius toto hoc loco iambum quasi personam exhibet) apud Accium raro invenitur; apud Ennium cum saepius occurrat, aut neglegentiae aut ignorantiae crimen ei movet.‹ Jam omnia optime se habent. Neque Archilochum carmina e puris iambis conformasse contra omnia veterum testimonia et fragmenta servata statuere neque Horatio tantam ineptiam imputare necesse est, ut eum omnem trimetri iambici vim et naturam ignorasse existimemus. Nam verbis ›primus ad extremum similis sibi‹ nihil significavit, quam hanc trimetri formam: ⏓ — ⏑ — ⏓ — ⏑ — ⏓ — ⏑ ⏓ a Graecis in usum vocatam, cui opponitur haec: ⏓ — ⏓ — ⏓ — ⏓ — ⏓ — ⏑ ⏓, quam veteres poetae Latini adamaverant. Et profecto iambus

›similis sibi‹ manebat, si in alternis pedibus semper purus erat, in alteris tantum cum spondeo permutabatur; sui similis non jam erat, si ubique spondeus admittebatur. Deinde si poeta verae rectaeque trimetri formandi rationi Graecorum falsam poetarum Latinorum opponebat, apte instituit quasi et instruxit praeceptum illud quod infro daturus erat:

›vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurma;‹

si Graecos ipsos a genuina ratione aberrasse contendisset, quomodo eosdem statim ut exemplar lumenque ponere potuit? Sententiae vero meae id quam maxime obficit, quod verba illa ›non ita pridem‹ alias semper in unam notionem conjuncta ipse sejungo et quod duo statuo enuntiata consecutiva, quorum altero alterum explicatur. Quae dicendi ratio cum alias fere inaudita sit, pedestri Horatii epistularum lingua et sermoni cotidiano propiore mihi videtur excusari et hoc loco prorsus necessario statuenda esse, dummodo ne summas ineptias poetae imputemus.

Quae cum ita sint, si Archilochus carmina meris iambis non continuavit; si trimetri puri, quamquam et apud iambographos et apud poetas scenicos Graecorum non raro occurrunt, non modo non elegantiores, sed saepius repetiti etiam molesti sunt et vim orationis debilitant; denique si neque Horatius hos magis legitimos censuit, quam eos, qui imparibus sedibus spondeos intermiscent, idcirco in ep. 16 puris iambis usus non est, sed aliam hujus rei explicandae viam inire debemus. Quam, ni fallor, ipse nobis patefecit. Nimirum veteres poetae Latini in eo peccaverant, quod spondeum ubique in trimetro iambico admiserunt. Catullus, qui veteribus omnino contrarius erat [1]) et ad Alexandrinorum

---

[1]) Cf. infra § 9.

exemplum potissimum sese applicare solebat, initio [1] spondeos in versibus iambicis raro admisit, in c. 25 et 52; nam carmen 25 quoque quamquam septenariis iambicis conscriptum, cum res eadem sit, ad quaestionem nostram dijudicandam adhiberi debet. Atque in c. 52, quod e tribus trimetris tantum constat, spondeus bis in prima, bis in tertia sede, nunquam in quinta reperitur; in c. 25 tredecim septenarios complexo primo loco 7 ies (vv. 3. 4. 5. 7. 9. 10. 13), quinto bis (vv. 5. 9), ceteris locis spondeum omnino non posuit. Magis autem magisque Catullus, cum a veterum poetarum Latinorum libidine abhorreret, id vitium ut vitaret enisus, in contrarium malum, quod et antiquis temporibus factum est et hodie fieri solet, videtur incidisse. Itaque in iis carminibus, quae post iter Bithynium et paulo priusquam mortuus est scripsit, in carm. 4 anno 56/55 a. Chr. orto[2] et in c. 29, quod anno 54 a. Chr. composuit[3]), meros iambos adhibuit et versum antea graviorem ipse leviorem reddidit; certe puri iambi leviores sunt, quam quibus acerbissima in Mamurram et Caesarem maledicta (c. 29) apte commissa videantur esse. Jam Horatius, ubi post

---

[1]) Initium quod dixi omne tempus fere ante Castulli iter Bithynium significo, quo carmen 52 quoque scriptum esse e ratione metrorum apparet. Neque assentiri possum Schwabio, qui cum in libro inscripto: Quaestionum Catullianarum liber primus (Gissae 1862) p. 35 –44 recte eorum sententiam refutarit, qui hoc carmen anno demum 47 a Chr. conscribi potuisse contenderunt eamque ob causam Catullum etiam tum vivum fuisse censuerunt, ipse carmen anno 55 sine justa causa tribuit. Cautius Westphalius hac quidem in re egit (cuius librum infra statim afferam), qui carminis 52 tempus accuratius circumscribere non conatus est; neque omnino id nunc fieri posse videtur. Nam cum Cic. in Vatinium 5,11 dicat: »Quaesturam petisti cum P. Sestio, cum hic nihil loqueretur, nisi quod agebat, tu de altero consulatu gerendo te diceres cogitare,« quod factum est anno 64 a. Chr., jam tunc temporis Catullo cur carmen suum scriberet, causa erat. Certe vero ante iter Bithynium (a. 57/56) compositum esse inde concludi debet, quod postea poeta tantum puris iambis usus est.

[2]) Cf. Westphal. Catulls Gedichte in ihrem geschichtl. Zusammenhange übersetzt und erläutert. Breslau 1867. p. 171 sqq. 267.

[3]) C. Westphal. ibid *p.* 192 sqq. 269.

pugnam Philippensem praedio paterno amisso eum »paupertas impulit audax, ut versus faceret« (epist. II 2, 51 sq.) in primo epodo 16, quem vel in ipsa Graecia vel paulo postquam Romam rediit, sub initium belli Perusini scripsit[1]), cum studiis philosophicis imprimis deditus[2]) Archilocho ceterisque lyricis Graecorum poetis nondum magnam sive fere nullam operam navasset, Catulli trimetri formandi rationem minus perfectam adoptavit[3]), mox cum Graecos veteres penitus cognovisset, rectam Archilochi rationem secutus est (in epodis 1—10. 11. 17).

Sequitur, ut de caesuris pauca addam. Nam e duabus, quae exstant, semiquinaria et semiseptenaria, cum illa elegantior sit, ab omnibus poetis et Graecis et Latinis multo saepius, quam haec adhibita est. Itaque apud Archilochum, si recte video, in 62 trimetris 9ies: fr. 29,3. 33. 34. 87,1 88,3. 91. 94,3. 96,2. 97,3; apud Catullum in 54 trimetris 14ies: **4**,3. 4. 5.6. 9. 10. 25. **29**,1. 6. 8. 14. 15. 21. 22; apud Horatium in 311 trimetris 17ies: ep. 1,15. 2,19. 53. 4, 3. 5,3. 21. 37. 45. 6,5. 7,7. 10,3. 17. 11,5. 16,4. 17,19. 38.60 caesura semiseptenaria invenitur, ita ut Catullus in caesuris formandis Archilocho aliquanto inferior, Horatius aliquanto superior sit.

Praeter trimetrum acatalectum apud Horatium catalecticus exstat in carminibus I,4 II,18, nusquam apud Catullum. Quo in formando Horatium, ut ipse loco supra allato professus est utque Mar. Victor. 168,20 sq.: »subdito hendecasyllabo iambico Archilochio« testatur, Archilochum omni ex parte secutum esse, nunc paucis fragmentis confirmatur:

---

[1]) Cf. Franke l. l.

[2]) Cf. epist. II 2,43 sqq. carm. I, 34, 2. 3.

[3]) *Cf. etiam* quae infra in § 5 de universa ep. 16 compositione disseram.

fr. 101 πολλὰς δὲ τυφλὰς ἐγχέλυας ἐδέξω.
fr. 102 incertum est.
fr. 103,2 πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευεν.
fr. 116 ὄγμος κακῶν δὲ γήραος καθαιρεῖ.

Ut Archilochus in his versibus spondeum non nisi in 1 et 3 pede admisit, ita Horatius in 30 trimetris in 1 sede 11, in 3 sede 26, nullum spondeum in 5 sede posuit. Arsin Horatius semel solvit, ultimam syllabam 24ies longam, 6ies brevem esse voluit. Denique uterque una caesura semiquinaria usus est.

De tertio versu, de dimetro iambico, quo Horatius in ep. 1—10. 14. 15 usus est, quoniam caesuram non habet ceteraque cum trimetris conspirant, mihi licet esse brevissimo. Spondeos igitur in sedibus imparibus et Archilochus saepe et Horatius in 203 dimetris primo loco 149, tertio loco 186 posuit. Arsis solutionem Horatius quater admisit: ep. 2,62. 3,8. 5,48. 15,24, cujus apud Archilochum quamquam nunc exempla non exstant, tamen e trimetri similitudine, quin et ipse non prorsus ab ea abhorruerit, non debet dubitari. Apud Catullum dimetri non inveniuntur.

B. De versibus trochaicis.

De dimetro trochaico catalectico, qui apud Horatium in c. II 18 reperitur, Mar. Victor. 168,20 K. testatur: »est autem ab Alcaeo sumptum choriacum heptasyllabum;» quod testimonium confirmatur a Caesio Basso 270,21, cui ingeniose Keilius fragmentum diu sub Atilii Fortunatiani nomine latum tribuit, et ab ipso Atil. Fortun 302,17 K., quamquam hos non omnino recte disputasse infra demonstrabimus. Quare cum dimetri trochaici inter Alcaei fragmenta nunc non inveniantur, causa tamen mihi non videtur esse, cur cum Schillero p. 13 Horatium non Alcaeum, sed Bacchylidem imitatum esse putemus. Nam quod Schillerus affert Bacch.

fr. 28 B. id ne dimetris quidem perscriptum esse unusquisque videt, licet quid de metro statuendum sit, nondum satis compertum habeamus. cf. Westphal[2] II p. 457 fin. Itaque Horatius etiam in ea re, ut non nisi meros trochaeos admitteret, Alcaeum expressisse pro explorato habeo.

Confidentius etiam de altero, qui nobis tractandus est versu trochaico, de dimetro trochaico cum anacrusi, qui Alcaicus enneasyllabus a rei metricae scriptoribus appellari solet, Alcaei imitationem statuere possumus. Tertius est versus strophae Alcaicae, qua Horatius, ut semel hoc loco enumerem, haec carmina conscripsit: I 9. 16. 17. 26. 27. 29. 31. 34. 35. 37. II 1. 3. 5. 7, 9. 11. 13—15. 17. 19. 20. III 1—6. 17. 21. 23. 26. 29. IV 4. 9. 14. 15; apud Catullum non exstat. Atque Horatium in universum quidem Alcaei exemplum expressisse, nonnullis tamen in rebus proprias easque severiores leges sibi praescripsisse diu cognitum est. Nempe cum Alcaeus (cf fr. 9. 13. 18. 34. 35) primam et quintam syllabam i. e. anacrusin et secundi trochaei thesin (sive primi et tertii iambi thesin appellare totumque versum pro dimetro iambico hypercatalectico habere mavis, quamquam minus recte id mihi quidem fieri videtur eam ipsam ob causam, quod, ut supra ostendi, in versuum iambicorum sedibus imparibus Horatius iambos et spondeos promiscue ponere solebat) — Alcaeus igitur cum has syllabas ancipites esse voluisset, Horatius eas longas reddidit vel potius plerumque reddidit et ita, ut eum longas consulto magno opere praeoptasse luce clarius appareat. Itaque in 317 vv. alterius trochaci thesis semper longa, anacrusis decies tantum in prioribus tribus carminum libris, nunquam in quarto brevis est.

Caesuras in dimetro trochaico L. Muellerus idcirco omnino non statuisse videtur, quod eas, de quibus primus,

ni fallor Lachmannus[1]) disputavit, quem secuti sunt Westphalius II 777 Schillerus p. 21 sq. alii, caesuras proprie dici non posse sibi persuasit — neque injuria, si quidem caesura versus in duo cola formatur cf. Mar. Victor. 64,32 K., earum autem partium, in quas viri docti illi dimetrum dirimunt: ⏓(⏑) — ⏑ — — — ¦ ⏑ — ⏓ altera colon non est, denique eam incisionem, quae proprie caesura vocanda esset, post secundum trochaeum: ⏓(⏑) — ⏑ — — | — ⏑ — ⏓ Horatius modo 11ies idque in prioribus duobus carmimum libris admisit. Tamen Muellerus non prorsus omittere debebat, Horatium in 317vv. 280ies post tertiam arsin verbum finiri voluisse, cuius diligentiae apud Alcaeum nullum vestigium exstat. Diligentia vero magis quam ingenio factum esse, non est, quod moneam. Quas praeterea Westphalius Schillerus incisiones afferunt: ⏓(⏑) — ⏑ | — | — — ⏑ | — ⏓, consulto praetermitto, cum eas casu magis vel linguae et verborum indole, quam poetae consilio exstitisse censeam.

Denique hoc loco

C. de metro ionico,

cum versus quomodo distinguendi videantur infra uberius expositurus sim, hoc monendum videtur: Horatius versus ionicos semel adhibuit in c. III 12 nec nisi puros ionicos admisit, qua in re ab Alcaeo pependit, cuius fr. 59. 60. 61 ionicis conscripta sunt. Itemque Catullus semel metro ionico usus est in c. 63; verum poetas Alexandrinos secutus ille meros ionicos omnino non posuit, sed versus galliambos praetulit, qui anaclasi et solutionibus ita commutantur, ut genuina metri forma fere nusquam appareat.

Quoniam de metris simplicibus dictum est, sequitur ut de compositis exponam ac primum quidem:

---

[1]) Lachmanni epistola ad Frankium in: Franke Fasti Horatiani p. 238 sq.

§ 3. De versibus dactylo-trochaicis.

Ut in iambis ita in versibus dactylo-trochaicis formandis Horatius Archilochum potissimum secutus est, qui primus dactylorum et trochaeorum compositione metra conformaverat teste Hephaest. c. 15 init. p. 47W. Atque poeta noster duos versus ab illo aperte petivit.

Unus constat e tetrametro dactylico et tripodia trochaica (Hor. carm. I. 4): — $\overline{\text{υυ}}$ — $\overline{\text{υυ}}$ — | $\overline{\text{υυ}}$ — υυ | — υ — υ — $\overline{\text{υ}}$, quem Horatium ab Archilocho expressisse, Mar. Victor. 117,21 tradidit. Apud ipsum Archilochum nunc haec exstant: fr. 100 B[3] *οὐκέθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα · κάρφεται γὰρ ἤδη*; fr. 103,1 *τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς*; fr. 103,3 *κλέψας ἐκ στηθέων ἁπαλὰς φρένας* . . . . . . fr. 114 *πεντήκοντ' ἀνδρῶν λίπε κοίρανον ἤπιος Ποσειδῶν*; fr. 115 *καὶ βήσσας ὀρέων δυςπαιπάλους, οἷος ἦν ἐπ' ἥβης*. — Eum versum, quem extremum posui Hephaest. c. 15 p. 50 W. affert et addit: *γίνεται δὲ ὁ τελευταῖος τῆς τετραποδίας διὰ τὴν ἐπὶ τέλους ἀδιάφορον καὶ κρητικός*, quod Westphal II 570 probavit. Sed cum alias systematum dactylicorum extremi pedes semper aut puri dactyli sint aut trochaei vel spondei (nisi versus in syllabam catalecticus est), Hephaestionem a vero aberravisse censeo et cum Bergkio, cui etiam Christius p. 574 adstipulari videtur, pro *δυσπαιπάλους* antiquo more *δυςπαιπάλος* scribere malim, ita ut hoc quoque loco merus dactylus efficiatur. Quod si verum est, omni ex parte Horatius ab exemplari pendere videtur, nisi quod caesuram post III trochaeum, quam in Archil. fr. 103,1 reperimus, ipse sibi non concessit, sed semper, ut hic in reliquis versibus caesura semiquinaria usus est. Verum id cum universo poetarum Latinorum adversus caesuram post III trochaeum odio cohaeret, cujus, ut supra diximus, Graeci participes non sunt. Altera post quartum dactylum caesura

in versus commissura Horatio cum Archilocho communis est; uterque etiam in quarta sede tantum meros dactylos, in tribus prioribus dactylos et spondeos promiscue posuit.

Alter versus, quem Horatius aperte ab Archilocho mutuatus est cf. Caes. Bass. 271,17 K., constat e trimetro dactylico in syllabam catalectico et dimetro trochaico catalectico cum anacrusi (ep. 11):

— ⏑⏑ — ⏑⏑ ⏑ | ⏑̄ — ⏑ — — — ⏑ ⏑̄

Horatius in commissura versus caesuram habet et syllabam ancipitem (brevem vv. 6. 10. 26) et bis hiatum admisit (vv. 14. 24). Idem Archilochum fecisse probabile quidem est, sed ex uno, quod Hephaestion nobis servavit fr. 85: *ἀλλά μ' ὁ λυσιμελής, ὦ 'ταῖρε δάμναται πόθος* certe concludi nequit, ut quo jure Schillerus p. 17 contenderit: »Die Reihen haben die specifischen Merkmale des selbständigen Verses bei Archilochus noch durchgehends, bei Horaz wenigstens öfters — Syllaba anceps und Hiatus«, equidem non videam. Certius effici potest, quocum id, quod supra de versu Alcaico enneasyllabo diximus, infra de aliis versibus dicendum erit, egregie conspirat, Archilochum anacrusin et alterius trochaei thesin ancipites esse voluisse, contra Horatium longas ita praeoptasse, ut hanc semper longam, illam in 14 versibus tantum 5ies (vv. 2. 10. 12. 20. 24) brevem redderet.

Tertius, qui apud Horatium ep. 13 exstat versus dactylo-trochaicus easdem, quas prior, partes inverso ordine continet hoc modo:

$\overset{-}{\smile}$ — ⏑ — — — ⏑ $\overset{-}{\smile}$ | — ⏑⏑ — ⏑⏑ ⏑̄

Hunc quoque cum universum metrum Archilochium appellent, viri docti ad unum omnes Horatium Archilocho debuisse sibi persuasisse videntur; Westphal II 566 eum

Archilocho aperte tribuit. Nititur ille in tribus locis: Diom. 516,13. 529,5 K. Serv. 467,1. Sed haec testimonia si recte sese haberent, tum profecto mirum esset, quod Hephaestion, qui in c. 15 omnia Archilochi metra ἀσυνάρθητα enumerat, huius nullam mentionem fecit. Et contrarium Caesius Bass. 271,17 sqq., quem ut in aliis rebus[1]) secutus est Atil. Fortun. 294,18 sqq., testatur: »nam cum Archilochus heroi partem priorem cum iambici priore parte commiserit, ita ut autecederet herous....., Horatius immutavit, ut antecederet iambici pars, sequeretur heroi«. Quibus maior quam Diomedi et Servio fides habenda esset, etiamsi, cur hi contrarium contenderint, dubium esset. Nunc vero quomodo Diomedes in errorem inductus sit, facile intellegitur. Nam 528,30 ille de versu dactylo-trochaico ep. 11, quem secundum posui, dicit: »undecima ode genus metri habet, quod ab Horatio compositum dicitur«; verum enimvero id non ab Horatio, sed ab Archilocho compositum esse supra vidimus. Facillime autem, cum hic versus nostro simillimus modo partium eius ordinem inversum praeberet, partes ipsas servaret, utrumque Diomedes commutare et id quod de altero traditum accepit ipse de altero dicere poterat. Deinde Servius aut Diomedem secutus est aut idem, quod ille, vitium et ipse commisit; ut hac quoque ex parte Caesii Bassi auctoritas fulciri videatur. Atque in versu novando — nam ab Horatio novatum esse, jam pro certo affirmare audeo — poeta prioris rationem retinuit, scilicet ut in commissura partium caesuram et syllabam ancipitem (ter in vv. 8. 10. 14 corripitur) poneret; ut in anacrusi et alterius trochaei thesi longam syllabam praeoptaret, tamen brevem in hac quoque semel (v. 18) concederet.

---

[1]) Cf. Keilii praef. p. 253 fin.

§ 4. De versibus logaoedicis.

A. simplicibus.

Dimetrum dactylicum cum dipodia trochaica conjunctum, qui quartus ut versus strophae Alcaicae est, ita Alcaicus decasyllabus appellari solet cf. Hephaest. c. 7 p. 25 Mar. Victor. 111, 31, Horatius prorsus ex exemplaris sui more formavit. Itaque in prima et secunda sede tantum puros dactylos, in tertia puros trochacos admisit. Ultimam versus syllabam, ut in omnibus metris ancipitem esse, non est, quod moneam.

Iam dimeter trochaicus conjunctus cum ordine logaoedico simpliciter dactylico· dupliciter trochaico acatalecto, quem versum Sapphicum hendecasyllabum vocare solemus, ter repetitur in stropha Sapphica, qua Horatii, ut semel enumerem, carmina conscripta habes: I 2. 10. 12. 20. 22. 25. 30. 32. 38. II 2. 4. 6. 8. 10. 16. III 8. 11. 14. 18. 20. 22. 27. IV 2. 6. 11. carm. saecul., Catulli c. 11 et 51. Nomen Sapphicae vero huic strophae additum est, quia Sappho eam insigniter adamaverat (nunc exstat Sapph. fr. 1—26), non quia invenerat; sed cum Alcaeus et ipse, quamquam rarius ea usus esset (cf. fr. 5. 36 77), utri inventori adscribenda esset, jam antiquis temporibus dubitabatur. cf. Hephaest. c. 14 p. 44 W. ἔστι δὲ καὶ παρ' Ἀλκαίῳ καὶ ἄδηλον, ὁποτέρου ἐστὶν εὕρημα, εἰ καὶ Σαπφικὸν καλεῖται. Caes. Bass. 266,25; ut alii artis metricae scriptores Latini e libidine modo Alcaeum cf. Mar. Victor. 161,18, modo Sappho cf. Diom. 508,22 inventorem nominarent. Quod idcirco moneo, ne cui labefieri videatur L. Muelleri sententia (edit. Horat. praef. p. LXVI), qui Alcaei potissimum imitatione Horatium metra lyrica Latio intulisse putat, ut Sapphus exemplum vel Anacreontis non ultra flosculos hic illic de carminibus eorum excerptos repraesentaret; — suo jure,

ut mihi quidem videtur, nisi quod Archilochum vir doctus perperam praetermisit. cf. eiusd. de re metr. p. 92. Sed de hac re infra disputandum erit; nunc de versus formatione videamus.

Atque a poetis Lesbiis ita formatur: — ᴗ — ᴗ̄ — ᴗᴗ — ᴗ — ᴗ, ut alterius trochaei thesis anceps sit et certa caesura non adhibeatur.

cf. Sapph. 1,1 ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφρόδιτα
1,6 τᾶς ἔμας αὔδως ἀΐοισα πήλυι.

Quos Catullus omni ex parte secutus est:
cf. Cat. 11,5—7: sive in Hyrcanos Arabesve molles
seu Sacas sagittiferosve Parthos
sive qua septemgeminus colorat.

Contra Horatius, ut in aliis versibus, alterum pedem semper spondeum reddidit, qui tamen etiam apud Graecos et Catullum saepius, quam trochaeus invenitur. Deinde in tribus prioribus carminum libris Horatius post quintam syllabam fere semper (tantum 7 versibus secundum Schillerum exceptis) caesuram effecit; postea in libro quarto et carmine saeculari, nimirum quia id artificiosius quam elegantius a se factum esse cognoverat, caesuram prorsus neglexit. Alio enim modo mihi juste explicari non posse videtur, quod 41 versus in his carminibus post quintam syllabam non inciduntur; neque assentiri possum G. Hermanno El. doctr. metr. p. 684 Westphalio II 776 · L. Muellero d. r. m. 205 edit. Hor. praef. LXXV Schillero p. 26, qui caesuram post III trochaeum statuunt. Nam poetas Latinos caesuram post III trochaeum omnino fugisse cum saepius dixerim, in nostro versu eo magis reiciendam esse censeo, si recte viri docti contenderunt, Horatium ex hexametri dactylici similitudine caesuram in alia metra induxisse. Quod mihi quam maxime probatur et subtilius quam verius Chri-

stium (Verskunst des Horaz 14—31) de hac re disseruisse puto, quod Horatium certis metricorum quorundam *θεωρίαις*, si hoc verbo uti licet, initio commotum esse opinatur, ut caesuras efficeret, deinde pulchritudinis specie, quae ipsius in mente insidebat, ut omitteret. Immo vero persuasum equidem habeo, artis metricae scriptores potius divisiones suas et explicationes metrorum e poetarum nec minime Horatii consuetudine posteriore tempore hausisse (cf. § 2), quam ut hi illos sequerentur. Verum haec quaestio cum talis sit, ut certis firmisque argumentis omnis dubitatio vix tolli possit, sententiam meam semel significasse satis habeo neque in reliquis metris, quippe ubi res eadem sit, huc redibo.

Deinceps si quaeritur, utrum jure an injuria haec Horatius novaverit, de caesura quidem inducta cum Westphalio II 759, qui nullum progressum ea in re spectari contendat, facere non dubito, quia hac mutatione metri origo, quippe quod e duabus partibus: — v — v̄ et — vv — v — v̄ concrevisse necessario statuendum sit, omnino obscuratur, et ipse poeta se erravisse quodammodo confessus est, cum in libro quarto aliam rationem ingrederetur. Verum de syllabis longis pro ancipitibus receptis, merito L. Muellerus d. r. m. 92 videtur monuisse, propriam Romanorum ingenii sermonisque indolem a poeta observatam lyricique carminis decorem intentum esse.

Duo restant simplicia metra logaoedica, quae ut Horatius in c. I 8 complexus est, ita nobis quoque conjungere liceat. Eorum schemata habes haec: — vv — v — v̄ et

— v — — — vv — — vv — v — v̄.

Difficillima rei metricae scriptoribus antiquis visa sunt: Caes. Bass. 270,3 sqq. Atil. Fortun, 300,19 sqq. Mar. Victor. 87,12 sqq. 165,25 sqq., omnesque in eundem errorem inciderunt. Proficiscendum nobis ab eo fragmento est, quod ingeniose *nunc, ut supra* dixi, Keilius Caesio Basso tribuit,

olim Atilio Fortunatiano tribuebatur, quodque omnium antiquissimum esse post Lachmannum imprimis Westphalius [1]) luculenter demonstravit; cuius vitium cum ceteri secuti videantur, gravius est, quam ut ea, quae de nostro metro ab auctore scripta sunt, non omnia afferam: »quod metron et ipse Horatius ignorando quale esset laboriosa observatione semel omnino facere conatus est et in eo tamen parum decenter erravit. nam fecit illud asperius uno immutato pede. quod si scisset, choriambicon esse et habere clausulas certas, non in illam salebram incidisset. nam primum comma ex choriambo et antibacchio compositum est: 'Lydia dic per omnes.' secundum colon, quod est longius, tres habet choriambos et unum antibacchium, scilicet clausulae gratia, quod metron Alcaeus sic ordinavit, homo in musicis exercitatissimus. at Horatius primum choriambum durissimum fecit pro iambo spondeum infulciendo sic: 'hoc deos vere Sybarim.' nam si secutus esset Alcaeum sic ordinasset: 'hoc dea vere.' error tamen illius habet excusationem, quod in ea perseveravit lege, quam ipse sibi aliquo casu fecerat, usque ad ultimam partem non mutando.« Verum non Horatius »parum decenter« erravit, sed potius Caesius Bassus. Prior enim versus, qui quamquam apud Alcaeum nunc quidem non reperitur, ab eo non alienus fuisse videtur, quia a Sappho in usum vocatus est cf. fr. 99. 100. Westphal II 760, quique etiam apud Aristophanem exstat, cuius nomine e libidine Servii 463,5 nunc appellari solet, cum Diomedes 520,21 eum pro Anacreonteo vendat, is aperte e dactylo et dipodia trochaica constat neque vero choriambum et antibacchium continet, quod et metrici Latini et Heph. c. 9. p. 36 W. falso statuunt. Quod cum falso etiam Caesius Bassus opinaretur, consequens erat, ut alterum quoque ver-

---

[1]) Westphal Allgemeine griechische Metrik. Leipzig 1865. p. 72 sqq. 86 sqq.

sum choriambicum esse debere putaret et cum apud Alcaeum talem: – ⏑ ⏑ ⌊— —⏑ ⏑ ⌊— — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ invenisset, hunc Horatium ante oculos habuisse neque tamen recte expressisse sibi persuaderet. Sed Horatio si choriambicum Alcaei metrum imitari in animo erat, Caesiis Bassis similibus suasoribus opus non erat. Immo prorsus aliud metrum adhibuit, quod e versu Sapphico hendecasyllabo ita quasi accrevisse videtur, ut post alterum trochaeum dimeter dactylicus *ἀσυνάρθητος*, quem choriambum vocant, immitteretur. Et verae doctrinae vestigia aliqua quamvis obscura apud Diomedem et Servium inveniuntur, qui versum nostrum non a choriambo, sed ab epitrito secundo incipientem faciant. Diom. 520,25 Serv. 470,10. Ceterum uterque im eodem, quo ceteri metrici, errore est et Diomedes quoque versum injuria Alcaicum appellat. Nam id metrum Horatii: — ⏑ — — — ⏑ ⏑ ⌊— — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏒ cum in tota graecitate nusquam[1]) occurrat, ab Horatio novatum esse necessario statuere debemus. Quare sine justa causa hunc versum nunc a plerisque Sapphicum nec rectius a Christio (Verskunst d. H. p. 12) Anacreonticum appellari per se patet. Caesuram Horatius post choriambum posuit.

B) Cum anacrusi

conjunctus apud Horatium versus logaoedicus unus Alcaicus hendecasyllabus exstat. Alcaeus caesuram neque in hoc versu effecerat neque anacrusis et quintae syllabae

---

[1]) Christius p. 504 sibi detexisse visus est in Anacr. fr. 28 *ἀσπίδα ῥίψας ποταμοῦ καλλιρόου παρ᾽ ὄχθας*, quod perversissime, si quid video, mensus est Nam et Atil. Fort. 301,9 ut choriambicum hunc versum affert et verbum *ῥίπτω* quamquam initio a digammate incepisse videtur cf. Curtius Grundzüge der griech. Etymologie [4]Leipz. 1873 p. 353, id in hoc vocabulo apud Anacreontem ad positionem efficiendam certe non jam valuit.

tempus firmaverat. Horatius post secundum trochaeum caesuram induxit et ter tantum neglexit (c. I 16,21, 37,14. IV 4,17); anacrusin in carminum libris I—III plerumque (exceptis 17 vv.), in libro IV semper longam esse voluit; secundo loco semper spondeum posuit; nam quae feruntur exceptiones: carm. III 23,18[1]) et III 5,17[2]) nullae sunt, Haec autem a poeta recte et e Latinae linguae indole novata videri, supra diximus; nec caesura quippe qua versus in partes suas legitimas dirimatur, pro ineleganti haberi debet.

Restat, ut

C.) de versibus logaoedicis cum basi[3]) conjunctis

agam. Qua in re eum potissimum ordinem sequar, ut primum basi omnino omissa et cum Christio per . . significata de singulis versibus, deinde de basis formatione per perpetuitatem disseram.

Atque primus qui occurrit versus sub nomine pherecratei fertur, hujus formae: . . — *v v* — $\bar{v}$. Is et apud Alcaeum nunc semel exstat: *Λάταγες ποτέονταί* fr. 43,1 et bis apud Sappho: *φωνάεσσα γένοιο* fr. 45,2*ἴψοι δὴ τό μέλαθρον* fr. 91.1, multo vero saepius in usum vocatus est ab Anacreonte, imprimis cum glyconeo conjunctus, Formae pherecratei differentiae inter hos non intercedunt; nec formam mutavit Catullus c. 34 et 61 (nisi quod semel c. 61,25 pro dactylo spondeum sibi concessit: nutriunt humore) neque Horatius c. I 5. 14. 21. 23. III 7. 10. 13. IV 13 sed exemplaria sua Graeca omni ex parte secuti sunt.

---

1) Cf. Orellii adnotationem a. h. l.

2) Cf. Corssen, Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache. ²II Leipzig 1870 p. 436 sqq. et imprimis p. 491.

3) Basis enim nomen servari posse puto, dummodo eam non extra metrum positam, sed primum ipsius metri pedem esse teneatu

Secundum versum, qui glyconeus vocari solet, eundem habes: . . — ∪∪ — ∪ ∪ apud Alc. fr. 43,2. 72. 80. Sapph. fr. 45,1. 46—49, saepe apud Anacreontem, a quorum ratione nec poetae Latini recedunt: Catullus in c. 34.61, Horatius in c. I 3. 5. 6. 13—15. 10 21. 23. 24. 33. 36. II 12. III 7. 9. 10. 13. 15. 16. 19. 24. 25. 28. IV. 1. 3. 5. 12. 13.

Tertius versus, asclepiadeus minor ille appellatus, apud Horatium omnium logaoedicorum frequentissimus in eisdem, quibus prior, carminibus et praeterea in c. I 1. III 30. IV 8 exstat; apud Catullum non invenitur. Qui quomodo a Graecis formatus sit, cum apud Anacreontem non exstet, perspicuum fit ex
Alc. fr. 33 *ἦλθες ἐκ περάτων γᾶς ἐλεφαντίνων*
λάβαν τῶ ξίφεος χρυσοδέταν ἔχων ceteri versus incerti sunt.
fr. 40 *πίνωμεν, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται*
fr. 81,2 *κινήσαις τὸν ἀπ' ἴρας πύκινον λίθον.*
Sapph. fr. 56,1 (Hermanni emendatione recepta)
φαῖσι δή ποθ' ὐπ' ἀνθέων ὐακινθίνων
Λήδαν ὤϊον εὔρεῖν πεπυκαδμένον.

Ex his apparet versum apud Graecos continuo ordine sine caesura decurrisse. Contra Horatius post dimetrum dactylicum *ἀσυνάρθητον* in carminum l. I—III semper caesuram effecit: . . — ∪∪ |— ¦ — ∪∪ — ∪ $\bar{\cup}$, sed postea in IV libro hanc legem, quamquam non prorsus omisit, minus diligenter tamen observavit, si quidem c. IV 8,17 »non incendia Carthaginis impiae« scripsit, quem versum iniuria inde a Bentleio a plerisque viris doctis deletum esse, Haeussner[1]) ante hos quattuor annos luculenter demonstravit.

[1]) Haeussner De Hor. carminum libri quarti octavo. Progr. Freiburg 1876, p. 7 — 16.

Ampliorem comparandi materiam ultimus, de quo dicendum est, versus asclepiadeus maior praebet, qui exstat apud Alcaeum fr. 37. 39. 41. 42. 44. 83—86, apud Sappho fr. 64. 65. 68. 69. 71, apud Catullum c. 30, apud Horatium c. I 11. 18 IV 10. Poetae Lesbii hunc quoque versum sine caesura continuant cf. Alc. fr. 39,1 *τέγγε πνεύμονας οἴνῳ· τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται,* quorum e more etiam Catullus suos versus formaverat. cf. c. 30,4 »nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent«, v. 11 »si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit fides«. Horatius vero duabus caesuris, quas nunquam neglexit, adhibitis versum hoc modo formavit: . . — ∪∪ ⊢ | — ∪∪ ⊢ | — ∪∪ — ∪ ∪̄, quod inepte factum esse Westphalio II 759, ni fallor, concedi nequit. Etenim et hic et antecedens versus, qua sunt longitudine, in cola venuste formari possunt; et in divisione recte et eximia arte Horatius legitimas metri partes servavit, quod quidem e glyconeo uno et duobus choriambis adjectis ortum videtur esse et quodammodo accrevisse.

Jam in his metris ominibus primus pes, quem adhuc neglexi sive basis apud poetas Graecos et Catullum varias formas exhibet. Atque ut eius rei altiores causas et rationem nondum satis investigatas omittam, poetas lyricos Graecos et spondeum et trochaeum et iambum et pyrrhichium pro basi admisisse omnes sciunt; quare exemplis probare supersedeo. Quos Catullus ita secutus est, ut tamen pyrrhichium nunquam sibi concederet, sed modo spondeum trochaeum iambum poneret neque vero in omnibus metris aequabiliter. Sed in versibus asclepiadeis semper spondeo, in pherecrateis et glyconeis plerumque trochaeo, raro spondeo et etiam minus frequenter iambo, in phalaeciis plerumque spondeo usus est. cf. L. Mueller de r. m. 161 sq. Severiorem normam Horatius sibi praescripsit, ut

basin semper spondiacam redderet[1]). Neque vero injuria Christius p. 97 monet, basin etiam in Anacreontis glyconeis et in poetarum scenicorum Graecorum systematibus choriambicis plerumque spondiacam esse, ut Horatii legibus severioribus non modo linguae Latinae, sed etiam ipsius metri indoles atque natura quam maxime favisse videatur.

Cap. II. De carminum compositione.

Omnia Horatii carmina, si c. III 12 ionicis conscriptum, de quo dubitatio est, exemeris, aperte in tria genera dividuntur; nam aut idem versus continuatur, aut alterni versus per totum carmen commutantur aut post tertium quemque vel secundum versum alius vel alii adduntur. Quae genera, sed mutato ordine, secuto mihi primum

§ 5. de epodis carminibusque epodicis

agere liceat, ita tamen ut ep. 17, qui alius est generis in praesens omittamus. Catulli carmina in hac paragrapho tota comparari nequeunt, cum ille huius generis disticho elegiaco modo usus sit, quod apud Horatium non exstat.

Atque epodorum frequentissima ea est species, quae trimetri iambici cum dimetro conjunctione effingitur. Quam se ab Archilocho mutuatum esse ipse Horatius nobis tradidit loco supra allato. Nunc cum Horatii ep. 1—10 si Archilochi fr. 87. 88. 94. 97 compares, discrimen inter utrumque non invenies.

Ab eodem Archilocho alterum metrum, quo cum hexametro dactylico trimeter in syllabam catalecticus conjungitur,

---

[1]) Nam c. I 15,24 lectio »Teucer te« codicibus fulcitur; et ib. v. 36 pro »Iliacas« necessario »Pergameas« recipiendum est. Cf. O. Keller Epilogomana zu Horaz. I. Leipzig 1879. a. h. l.

Horatius petivit (c. IV 7) teste Ter. Maur. 1807 sq: »hoc doctum Archilochum tradunt genuisse magistri: tu mihi Flacce sat es cet.«, quem id sibi voluisse e connexu sententiarum recte Westphalius II 354 conclusit; et Terentiani testimonium ea re confirmatur, quod Archilochus, quamquam cum hexametro conjunctus nunc non exstat, trimetro dactylico in aliis epodis saepius usus est cf. fr. 89. 90. 93. 104.

Tertia epodorum forma evadit, si cum hexametro dactylico tetrameter catalecticus in disyllabum connectitur (Hor. ep. 12. carm. I 7. 28), quam ab Archilocho neque ipso alienam fuisse, testantur Hephaest. c. 7 p. 23 W. *καὶ τὸ τετράμετρον, ᾧ πρῶτος μὲν ἐχρήσατο Ἀρχίλοχος ἐν ἐπῳδοῖς.* Mar. Victor. 115,9. cf. 165,17. Servius 460,27 sqq. Itaque non debet dubitari, quin hoc quoque metro Horatius Archilochum potissimum imitatus sit neque Diomedem adhibere necesse est qui p. 520,15 archilochium, contra 529,3 asclepiadeum illud appellat, ubi Keilius »archilochium« adversantibus codicibus in textum recepit. Nunc iniuria vulgo neglecta Marii, Servii, Diomedis auctoritate sub Alcmanici nomine fertur.

Jam quartam epodi formam poetam Venusinum Archilocho acceptam referre, eam, qua hexametrum dactylicum et dimetrum iambicum complexus erat (ep. 14. 15), et ex Archil. fr. 84 intellegitur et a Diomede 529,12 confirmatur[1]).

Simili modo in Horatii ep. 16 hexameter dactylicus et trimeter iambicus alternis vicibus sese excipiunt. Quam

---

[1]) Diomedis verba perperam Westphalius II 566 ita interpretatur, ut contrarium sensum eliciat. Nam Diom. cum haec: »quarta decima ode aeque ab Horatio composita dicitur« et supra: »tertia decima ode metrum habet, quod aeque (que A.) ab Horatio compositum est« — scriberet, aperte ad ea spectabat quae de ep. 12 dixerat: 12ma ode Archilochium metrum habet.« Itaque illo »aeque«, quod Westphalius prorsus videtur omisisse, hanc quoque oden ita ab Horatio compositam esse significat, ut metrum Archilochium adhiberet.

formam etiam ab Archilocho in usum vocatam esse, cum nec fragmentis servatis nec metricorum vel grammaticorum veterum testimoniis comprobaretur, Westphalius II 566 ei temere tribuere non debebat. Immo vero cum omnia quae ipse Westphalius affert, huius metri exempla posterioris demum temporis et pleraque Alexandrinae aetatis sint; et cum reliqua metra, quae huius generis apud Archilochum inveniuntur, aetate Alexandrina jam fere nusquam occurrant, jure concludi posse videtur, Archilochum hexametro dactylico cum trimetro iambico conjuncto omnino usum non esse, sed hunc epodum posteriore demum tempore ortum esse. Et sententia mea egregie ea re confirmatur, quod trimetri iambici forma in uno ep. 16, quem omnium primum Horatius scripsit, ab Archilochi ratione, ut supra ostendimus, plane abhorret. Quae cum ita sint, vix audacius videbitur contendere, Horatium in huius epodi compositione universa, quod et Catullus et ipsius Horatii aequales facere solebant[1]), poetas Alexandrinos imitatum esse, ut in trimetro formando, quod supra vidimus, Catulli vestigia pressit.

Transeo ad sextum genus epodorum compositum e trimetro iambico et trimetro dactylico catalectico conjuncto cum dimetro trochaico catalectico cum anacrusi, quod exstat in ep. 11. Cuius cum alter versus ab Archilocho inventus sit, quin ex eodem totum metrum Horatius imitatione expresserit, dubium esse non potest. Cui opinioni quod Diom. 528,30 repugnare videtur, mero eius errore factum esse, supra demonstravimus.

Deinde in ep. 13 Horatius metro usus est ab ipso invento. cf. § 3. Neque inutile videtur monere, quanta arte Horatius hoc metrum novaverit quantaque diligentia exem-

---

[1]) Cf. L. Mueller. Rei metricae poet. Lat. summarium. (Petropoli 1878) p. 13.

plaria Graeca etiam tum ante oculos habuerit. Nam cum Archilochus hoc in epodo:

v — v — v | — v — v — v v

— v v — v v — | v — v — v — v v

dactylos iambis et trochaeis, qui eiusdem generis metrici sunt, includi voluisset, Horatius aptissime trochaeos colis dactylicis inseruit:

— v v — v v — v v — v v — v v — v

v — v — — — v v | — v v — v v v

Rursum Archilochum secutus cf. Mar. Victor. 117,19 sqq. Horatius tetrametro dactylico cum ithyphallico trimetrum iambicum catalecticum adnexuit in c. I 4 coll. Archil. fr. 103.

Percensui carmina epodica iambis et dactylis et dactylotrochaies conscripta praeter c. II 18 alternis dimetris trochaieis et catalecticis trimetris iambicis compositum. Quod metrum cur nunc vulgo Hipponacteum appelletur, equidem nullo modo investigare potui nec fortasse quisquam eorum, qui ita vocant, intellegit. Neque vero rectius Westphal II 545 Alcaeum ab Horatio imitatione expressum esse, videtur contendere. Affert ille testimonium Atil. Fortun. 302,17: »hoc metro semel omnino usus Horatius, Alcaeus frequenter« ; addere poterat Caes. Bass. 270,21: »et hoc sumptum ab Alcaeo et ab illo tractatum frequenter et ab Horatio semel omnino compositum«. Verum et Caesius Bassus, ni fallor, et qui eum sequitur Atilius a vero aberrarunt. Certe iis repugnant et Mar. Victor. 168,20: »est autem ab Alcaeo sumptum choriacum heptasyllabum subdito hendecasyllabo iambico Archilochio« et Diom. 524,25: »septima decima ode (Diomedes ceterique metrici saepe alios, ac nos carminum numeros habent) metrum habet, quod ab Horatio compositum dicitur«. Quam controversiam ut caute

diiudicemus, nostro quidem loco Caesii Bassi et Atilii auctoritatem a Mario et Diomede vinci statuendum erit; nam in universum tale quid contendere non licet, priusquam quanta cuique metricorum in his rebus fides habenda sit, accuratius, quam adhuc factum est, inquiratur. Sed quod ad nostram quaestionem pertinet, cum priorem versum Horatius ab Alcaeo aperte mutuatus esset, Caesius Bassus ut totum metrum ab eo petitum esse putaret, facile fieri poterat. Horatius si re vera Alcaeum prorsus imitatus esset, si contrarium Marius et Diomedes affirmassent, ea quidem non neglegentia vel error, sed manifesta fraus esset quam viris in explicandis metris saepe quidem in errorem inductis, consultae fraudis nusquam convictis imputare nullo modo debemus. Denique quae Marius accuratissime exposuit, et ipsa omnem veritatis speciem prae se ferunt et cum iis, quae de singulis versibus nobis ipsis statuenda videbantur, praeclare congruunt. Quibus de causis omnibus persuasum equidem habeo, hoc metrum ab Horatio ita novatum esse, ut alterum versum ab Archilocho alterum ab Alcaeo peteret.

Ut ad epodica carmina logaoedica pergam, decima, qua Horatius usus est forma, versus glyconei cum asclepiadeo minore conjunctione illa formata, saepius, quam reliquae invenitur in c. I 3. 13. 19. 36. III 9. 15. 19. 24. 25. 28. IV 1. 3. Hoc metrum ab Horatio inventum esse tradit Diom. 519,21: »tertia ode dicolos Horatianum metrum habet, cuius prior cet.« cf. 522,7; idem, quia alter versus asclepiadeus est, totum metrum, ut hodie quoque fieri solet, asclepiadeum vocat 521,18, 525,7 al. Diomedi vero quominus fidem habeamus nihil obstat. Neque Diomedem, sicut de strophae Sapphicae nomine supra nobis statuendum erat, fortasse non ab Horatio hoc metrum inventum, sed tantum saepius in usum vocatum esse sibi voluisse mihi

objici debet. Nam et alias semper rei metricae scriptores inventorum nominibus singula metra appellarunt, ut cum aliter aliquando factum esset, id disertis verbis monerent, et toto connexu aliorumque locorum similitudine omnis de Diomedis sententia dubitatio tollitur. Nec Caes. Bass. 259,4 cum de glyconeo et asclepiadeo agens haec diceret: »hoc metrum incrementum cepit et totum ab Alcaeo tractatum est et ab Horatio nostro« de utriusque versus compositione magis quam de singulorum formatione cogitasse putandus est. Quare injuria Westphal II 763 non singulos modo versus sed totum metrum Alcaeo tribuit; quod vero duo Alcaei et Sapphus fragmenta affert, quae nostro metro conscripta esse opinetur, Alcaei fr. 81 e fr. 33 similitudine, ut integer versus evadat, ita potius explendum est:

νῦν δ' $\frac{\quad}{\upsilon}$ — υυ └ οὗτος ἐπικρέτει
κινήσας τόν ἀπ' ἴρας πύκινον λίθον

et Sapph.fr.56, in Etym. Magno in prosae orationis ordinem redacto Hermannus poeticum colorem ingeniose reddidit scribens:

φαῖσι δή ποθ' ὑπ' ἀνθέων ὑακινθίνων
Λήδαν ᾤον εὑρεῖν πεπυκαδμένον.

Denique undecimum metrum epodicum, quo Horatius usus est in c. I 8, ab ipso inventum est; nam priorem versum ab Alcaeo mutuatus est, posterum de suo addidit. cf. § 4.

Haec sunt Horatii metra epodica. Nec profecto neglegendum est quod effecisse mihi videor, horum e numero unum ab Alexandrinis, sex ab Archilocho poetam mutuatum esse, quattuor ipsum finxisse. Alcaei imitationem, cum aliter saepe viri docti judicaverint, equidem in his omnibus carminibus eam modo investigavi, qua singulos versus ab eo Horatius petiverat; in carminum epodicorum compositione eum non secutus est.

Pergo ad quaestionem omnium, quas tractandas suscepi

intricatissimam. Archilochus enim et Alexandrini quin in iis carminibus, quorum metra Horatius expressit, ut ἐπῳδοί appellantur, ita re vera aeque atque in distichis elegiacis factum est, binos versus systemate complexi sint sive haec carmina δίκωλα, quae metrici vocant, esse voluerint, dubium esse non potest neque quisquam adhuc, quantum video dubitavit. Cf. Hephaest. c. 6 p. 71 W. Horatium eadem ratione tantum in epodis, qui proprie appellantur, usum esse, contra carmina sua cuncta quaternorum versuum strophis composuisse Meinekius (in editione sua Horatii) et Lachmannus [1]) primi contenderunt. Quam sententiam vel legem, quam auctores nominant, viri docti passim aut acceperunt aut reiecerunt; atque omnes, qui suum de hac quaestione iudicium professi sunt, hoc loco nominare mihi in animo non est nec, si vellem, possem; nonnullos tamen affere non alienum videtur. Atque cum Meinekio et Lachmanno faciunt imprimis Christ, G. Herrmann [2]), L. Mueller, Nauck, Orelli-Baiter, Rossbach-Westphal; in diversa opinione sunt Dillenburger, Keller-Holder, Ritter nec Hofmann Peerlkampius, quem si legem suam cognitam habuisset, quin compluribus locis cautiorem criticum se praebuisset, Meinekius dubitari non posse contenderat [3]), in secunda editione (1862) ei adstipulatus est; denique medium quiddam inter utrosque Teuffelius imprimis tenet, qui in tribus prioribus carminum libris Horatium tantum carmina tetracola posuisse, in quarto ab hac norma recessisse pro verisimili habet. Verum et Meinekius et Lachmannus in solis numeris nituntur et ceteri omnes consensum suum vel dissensionem magis professi sunt vel significarunt, quam certis argumentis comprobarunt. Nec multum pro Lachmanno

[1]) Zeitschr. f. Altertumswsch. 1845 p. 481.
[2]) Epitome doctr. metr. p. 243 et aliis locis.
[3]) in editionis secundae praef. XLIV.

concertans effecit Försterus [1]), qui in solo fere carmine IV8 nititur, cuius commentatio iam obsolefacta est Haeussneri illa, quam supra laudavi. Iam refutare Meinekii sententiam conatus Hanowius [2]) e strophae Sapphicae observatione hanc legem statuit: strophas ita formari non debere, ut sententia ex una in alteram invadens primum huius versum totum vel primum et secundum vel tres primos versus totos suae dicioni subjungeret, sed tantum licere, ut horum versuum partem occuparet; quae lex cum in Meinekii strophis neglegeretur, has strophas non esse. Sed Hanowii rationes futiles esse, Weihius [3]) demonstravit. Alia vero non pauca mihi contra Meinekium proferri posse videntur.

Atque proficiscendum est a veterum auctoritate. Quo in genere praeter cetera scholiis metricis occupamur, quae in codicibus Horatii per singulorum carminum praescriptiones vel subscriptiones nunc dispersa miro consensu Meinekio officiunt. Nam in illis ea carmina, quae uno eodemque metro continuantur, *μονόκωλα*, quae binis versibus scripta sunt, *δίκωλα*, denique quae post secundum quemque vel tertium versum alios vel alium habent, *τετράκωλα* nominantur. Et quamquam proprie hoc loco ad rem nostram tantum ea scholia spectant, quae de carminibus distichis sunt, tamen omnia in uno conspectu ponere juvat: Atque de carminibus distichis haec sunt·

I 3. prosphonetice dicolos Fλ
4. paranetice dicolos Fλ id. I 7.
8. erotice dicolos Fγλ id. I 13.
19. erotice dicolos Fλ.
IV 1. eutice erotice dicolos ABλγ;

de carminibus monostichis haec sunt:

[1]) Förster, Quaestionum Hor. particula altera. Progr. Brünn 1870.
[2]) Hanow, Commentariolum Horatianum. Progr. Züllichau 1866.
[3]) Weyhe, Bemerkungen über Bau und Charakter der Hor. Strophe. Progr. -alberstadt 1870.

I 1. pragmatice monocolos B.
I 11. pragmatice monocolos γλ
18. paranetice monocolos Fγλ.
IV 8. encomiastice monocolos ABλ
10. erotice monocolos ABFγλ;

denique de tetrastichis haec sunt:

I 2. proseutice tetracolos Fτλ
5. prosphonetice tetracolos Fλ
6. hypothetice tetracolos Fλ
10. hymnus Mercurio tetracolos Fγλ
12. prosphonetice tetracolos Fγλ
14. {ad rempublicam tetracolos AB
{paranetice tetracolos ad Brutum Fλ
15. ypotetice tetracolos Fγλ
33. paranetice tetracolos Fγλ
II 1. pragmatice tetracolos γ
2. {encomiastice tetracolos AB
{prosphonetice tetracolos γ
4. protreptice tetracolos τ
5. ode tetracolos τ
6. prosphonetice tetracolos γτχ
7. prosphonetice tetracolos γτ
9. paranetice tetracolos γ
12. prosphonetice tetracolos τ
14. » » γ
17. paranetice tetracolos τ
20. allegorice tetracolos γτ.
III 26. ad Venerem tetracolos ABτλ
IV 2. encomiastice tetracolos ABγλ id. IV 4. 14.
IV 5. proseutice tetracolos ABγλ id. IV 6
11. erotice tetracolos ABγλ
12. paranetice tetracolos ABγλ id. IV 13.

15. {ad divum Augustum tetracolos $\gamma\lambda$
ad Augustum tetracolos A in margine (oden omisit B).

subscriptio epodorum: .... epodon explicit. incipit carmen saeculare .... proseutice tetracolos Fγ.

Denique singula quasi collecta praebent codices Aλ in subscriptione libri III: monocolos est quotiens ode uno metro sine alterius amixtione ē (om. λ) dicolos (didoscolos A) est in ode que (q. λ) duobus metris scripta est. tetracolos in qua post (per λ) duos aut tres versus alia inchoantur metra Aλ; ubi Kellerus annotat, eadem fere in cod. ς ad c. I 1 legi. Neque id neglegendum est, in codd. πu easdem, quas in F, inscriptiones legi, quo factum est, ut a Kellero typis non exprimerentur. cf. Keller ad c. I 1. A quo codicum concentu quae discrepant, ut ode III 23 proseutice monocolos F$\gamma\lambda$, IV 8 encomiastice tetracolos γ, IV 3 proseutice tetracolos A$\lambda\gamma$, IV 7 paranetice tetracolos AB$\gamma\lambda$ appellentur, ea librariorum mendis orta esse, recte perspexit Christius (Verskunst etc. p. 35 A. 11.)

Et omnino, ni fallor, in hac virorum doctorum dissensione primus Christius horum scholiorum mentionem fecit, sed sine diligentiore inquisitione nullam eorum auctoritatem esse, contendit magis, quam probavit. Contrarium vero nuper, qui denuo in has carminum inscriptiones inquisivit, Kiesslingius[1]) certa ratione effecit, cuius disputationis, ne longius demoratus singula enumerem, summam ipse facit hanc: »cum in praescriptis carminum Horatianorum hinc illinc appareant solidae doctrinae atque accuratae hominum qui Augusti temporibus vixerunt cognitionis vestigia, nequaquam ea a librariis conflata esse possunt, sed excerpta sunt

[1]) Kiessling, De Horat. carminum inscriptionibus commentatiuncula in: ind. schol. Gryphiswald. aestiv. 1876.

ex doctis commentariis, quibus proximis post poetae aetatem temporibus Julius fortasse Modestus argumenta carminum explanare instituit.« Quae cum ita sint scholiorum metricorum, quae in carminum praescriptionibus leguntur, auctoritas prima exsistit causa, cur Meinekio et Lachmanno assentiri nequeam.

Ceterum hac occasione data, quomodo mira illa praescriptionum et imprimis scholiorum metricorum inconstantia, ut modo quindecim carminibus continuis addantur, modo per totum fere librum omittantur, utque modo in his modo illis codicibus reperiantur, apte explicari posse mihi visa sit, non reticebo. Fortasse enim tales notae in carminum indice quodam codici archetypo affixo singulis odariis enumeratis additae erant, inde varie passimque et sine certo ordine in reliquos ita fluxerunt, ut ipsi carminum contextui immiscerentur. Nam si in codice archetypo, quem cum Kellero[1]) rectius primo, quam cum Linkero[2]) sexto post Chr. n. saeculo tribuendum esse censeo, aut omnino non exstitissent, quomodo factum sit, ut in omnibus fere codicibus exstarent, aut carminum ordini intexta fuissent, quomodo tanta eorum varietas orta sit, equidem non intellego. Sed haec obiter perstrinxisse satis habeo.

Ut ad propositum redeam, scholiorum metricorum auctoritatem artis metricae scriptores veteres confirmant, qui Horatii carmina eodem metro continuata pro monocolis, duobus versibus alternis composita pro dicolis, denique duobus vel tribus versibus variata pro tetracolis habenda esse et ipsi testantur, Atque Caesii Bassi non nisi e silentio nunc concludi potest; nam cum de Horatii c. I 8 II 18

[1]) edit. mai. praef. p. XVIII.

[2]) Verhandlungen der 29. Philologenversamml. in Innsbruck 1874. Leipz. 75 p. 84.

ageret (p. 270 K.), si Meinekii illam legem Horatius re vera secutus esset, certe non omisisset; neque ignorare poterat, non magis quam scholiorum illorum auctor, quem Caesii Bassi aequalem fere fuisse vel non multo postea vixisse pro explorato habendum est. Deinde Mar. Vict. 160,33 sqq. Atil. Fortun. 294,27 sqq. sententiam nostram disertis verbis confirmant et singula testimonia sexcenta apud utrumque et apud Diomedem et Servium invenies. Atque id quidem omnes sciunt; viri docti tamen metricis veteribus omnem fidem abrogant et Meinekium et Lachmannum sequi malunt. Sed veteres secutus jam supra nonnulla Horatii metra rectius quam adhuc factum erat, illustrasse mihi videor; quod reliquum est, diligentius ut in eorum auctoritatem inquiratur opus esse significavi, qua quaestione fortasse futurum esse puto, ut id comprobetur, in explicatione metrorum fere nullam, in traditione quam maximam fidem iis deberi. Quod utut evadat certe, quod ad nos pertinet, codicum inscriptiones et scriptorum veterum testimonia invicem sese fulciunt atque sustinent.

Accedit quod in uno saltem carmine epodico (nam de carmine monosticho IV8 infra videbimus) nec versuum numerus Meinekii sententiae convenit, in c. I7, quod cum Grotefendio, Doederlinio [1]), Buttmanno [2]) necessario in duo carmina (vv. 1—14 et 15—32) dirimendum esse censeo. Eandem sententiam cum Kellerus et Holderus initio amplexi essent, nunc [3]) in contrariam partem abierunt. Sed mihi, cum ad propositum nostrum hoc carmen gravissimum sit, uberius de eo disputandum esse intellego.

Atque codices, quibus plurimum tribuere debet, cuicumque, ut mihi, persuasum est, »Horatium poetam. si cum

[1]) Döderlein, Oeffentliche Reden Frankfurt 1860. p. 390 sqq.
[2]) Buttmann in: Ztschr. f. d. Gymnasialwesen 1860. p. 835 sqq.
[3]) in editione minore (Lips. 1878) et O. Keller Epilogomena p. 33.

ceteris comparaveris, prope integrum posteritati proditum esse« (Keller edit. praef. p. XVIII), utri sententiae magis faveant, in dijudicando non paulum obficit, quod quae ratio inter singulos codices intercedat, nondum satis constat. Namque ut taceam eos, qui codicem Blandinium vetustissimum etiam nunc solum sequuntur, ne ceteri quidem inter se consentiunt; sed et tres illae codicum classes, quas statuunt Kellerus Holderusque, nimis incertae et variis temporibus [1]) varie ab iis discriptae sunt et alii [2]) duas modo statuendas censent. Quare cum codices Aγ Fλ′ δ′ π′ u′ post carm. I 7,14 novum carmen incipiant, satis magnum optimorum codicum numerum a nostra parte stare apparet, amplius vero quidquam pro tempore non videtur confirmari posse.

Et duo carmina Horatium esse voluisse quae nunc vulgo in unum coguntur justa interpretatione prorsus comprobatur. Quidquid enim viri docti contra nisi sunt, neque hodie quidem labefactatum esse contendo quod Buttmannus l. l. p. 841 dixit: So ist weder in den Versen 1—14 etwas, was von innen heraus auf das Folgende weiset, noch in den Versen 15—32 etwas, was zurückweiset auf die Verse 1—14. Neque vero mihi cum iis sermo est, qui Meinekii lege a priori, quod vocamus, accepta huic omnia postponunt, ut Luebkerus [3]), Orellius al., et tam futili interpretatione utuntur, ut Horatium laudata Tiburis amoenitate huc e castris Plancium revocare studuisse opinentur, cum ipse disertis verbis dicat: seu te castra tenent seu Tiburis umbra tenebit, i. e., ut in pedestrem orationem convertam:

---

[1]) Cf. Keller in mus. Rhenano XIX 1864 p. 211 et edit. praef. XVI cum eiusd. commentatione in mus. Rhen. XXXIII 1878 p. 122 et Epilogomena p. VII.

[2]) Cf. imprimis: W. S. Teuffel, Die horazische Lyrik und deren Kritik. Zur Begrüssung der 31. Philologenversammlung in Tübingen. Tüb. 1876 p. 19 sqq.

[3]) Fr. Lübker, Kommentar zu Horaz's Oden Buch I—III. Schleswig 1841 p. 79

ubicunque es, vino vitae labores molli. Sed ii quoque qui cautius agunt, carminum perpetuitatem vel nullam vel artificiosissimam efficiunt. Quod quam maxime perspicuum est in Nauckii nota, qui cum singulas partes ita inter se cohaerere putet: Keine der griechischen Städte nimmt es mit Tibur auf (1—14). Aber wie in der Natur auf Regen Sonnenschein folgt, so endige du, mein Plancus, den Gram ... durch Wein, gleichviel ob du im Lager oder später auf deinem Tibur weilst (15—21). Auch Teucer wusste sich zu trösten etc. — aperte partium connexum una voce »aber« effecit, quam si omittas, (et quo jure per »aber« antecedentia verba cum insequentibus conjunxerit, equidem nullo modo intellego) non unum, sed duo carmina habes. Deinde in Ritteri explicatione eam, qua alias excellit ingenii judiciique aciem prorsus desidero; nam quod dicit: »Postquam juveni Planco patrem et patriam tunc vitanti paterni patrimonii jucunditatem laudavit, propius accedens ad propositum illi suadet, ut tristem animum exuat, praesentis militiae labores mero molliat« — manifestum est, eum, quod in insequentibus demum commemoratur, in priora intulisse et ne hac quidem via utraque apte cohaerere probasse; certe equidem non invenio, quo consilio cum paterni Planci patrimonii laude (quae praeterea nusquam exstat) adhortationem, ut tristitiam pelleret et labores militiae molliret, interno quodam nexu poeta conjungere potuerit. Denique secundum Mewesium [1]) Dillenburgerus, cuius editio mihi non suppeditabat [2]), Horatium carmina ita fere continuasse censet, ut v. 1—14 singulas enumeraret urbes, in quibus feliciter vivi posset; deinde v. 15—18 a dolore et mae-

[1]) Mewes, Jahresberichte des philol. Vereins in Berlin 1877 p. 302.

[2]) Etiam Schenklii de hoc carmine commentationem (Zeitschr. f. d. oesterr. Gymnas. 1878) mihi praesto non fuisse doleo.

stitia non sedem hominem tueri explicaret, sed veram sapientiam; denique v. 19—32 huius sapientiae esse jocose contenderet, aequo et hilari animo inter laetos potatores Teucri exemplo ferre quod vitare nequeas. Quae interpretatio speciosior, quam verior est; namque ut taceam hac in divisione singulas partes ne totis quidem enunciatis contineri, sed enunciatum v. 15—21, quod aperte unum est et unam sententiam comprehendit, divelli atque distrahi, Horatius omnino de sapientia philosophorum non loquitur, sed obiter: »sapiens« dicit »memento« (vertas: »sei vernünftig und denke daran); neque sedem a maestitia non tueri significat, sed simpliciter Plancum, ubicunque sit, ut vino maestitiam molliat, adhortatur eodem modo, quo carm. II 9 Valgium a nimio dolore avertere studet; quibus refutatis versuum 19—32 interpretatio ultro concidit. Quae cum ita sint, carm. I 7 pro uno haberi non posse perspicuum est.

Neque vero, quod post L. Muellerum (edit. praef. p. XIII) etiam O. Kellerus l. l. facere conatus est, ad hanc quaestionem dijudicandam scriptores rei metricae veteres jure adhiberi posse videntur, quippe qui, cum singula metra modo, non singula carmina respicerent, horum ordinem numerumque saepius perturbaverint [1]). Porphyrion autem in quo isti nituntur, non tueri magis, quam refellere sententiam eorum mihi videtur, si quidem ex eius nota ad v. 15: »hinc (hanc codd.) oden quidam putant aliam esse, sed eadem est; nam et hic ad Plancum loquitur, in cuius honorem et in superiore parte Tibur laudavit,« luce clarius appareat, quomodo factum sit, ut duo illa carmina in unum conjungerentur. Scilicet non modo utriusque metrum idem

[1]) Cf. Teuffel l. l. (Die horaz. Lyrik und ihre Kritik) p. 10—11 et Keller, Epilegomena p. 111 (ad. c. I 35,1).

erat, sed etiam ad eundem Plancum ambo scripta erant, quod praescriptionibus quoque probatur, ut: v. 1 Ad Munatium Plancum A. v. 15 Hortatur Plancum ad voluptatem A. reliquisque, quas Kellerus affert. Denique idem et omnis sententia mea ab Acrone interprete fulcitur, cuius optimi codices duo reddunt carmina. Qanto opere vero vitium haec carmina conjungendi increbuerit, inde intellegitur, quod etiam ii, qui divisionem recte servant Horatii codices F ad v. 1 falsam inscriptionem PARANETICE DICOLOS praebent, quae ad secundam demum oden spectat; quod vitium idem Acronis codex non habet.

Restat, ut ad sententiam meam prorsus stabiliendam saepius in codicibus sola metri aequitate carmina confusa esse comprobem. Cuius rei exempla longinquius petere supersedeo, ut in Catulli carminibus duo eiusdem metri confusa esse saepius viri docti non sine magna probabilitate statuerunt. (Cf. Cat. c. 2. 14. 51. 65. 68) Inter ipsa Horatii carmina II 14 et 15 continuantur in A′ B′ τR V[1])y, quod, quantum video, nemo adhuc probavit; aeque c. III 2 et 3 in unum confluunt in codicibus A′ B′ R V, a quibus nunc jure Kellerus et Holderus recesserunt, cum olim eos secuti essent; denique c. IV 14. et 15 in codicibus manuscriptis indivisa se invenisse Cruquius dicit et in A inter oden 14 et 15 nullam vacuam lineam intercedere Kellerus adnotat. Tres habes locos quibus metri aequitate bina carmina scribarum errore vel neglegentia coniuncta sunt. Neque inutile est monere, Acronem ubique divisionem recte servasse [2]), nisi quod semel c. II 14. 15 in uno co-

---

[1]) V codicem Blandinium vetustissimum significat secundum Kelleri-Holderi editionem maiorem, cum nunc eum prorsus omiserint.

[2]) Certe secundum Hauthalium servavit; itaque ubi aliud Kellerus in edit. Hor. indicat, errore nescio quo deceptus videtur.

dice A neglecta est, quem errorem altera manus correxit; cum Porphyrion semper fere a vero aberraret [1]).

Contra nusquam, quod apertae fraudis est, in Horatii codicibus singula carmina dirempta sunt. Neque enim mihi epodus 17 obiici debet; nam huius post v. 53 aliquot codices non novum epodum incipiunt, sed tantum duas eiusdem epodi partes inscriptione discernunt, Horatii supplicium et Canidiae responsum.

Et similiter, si quid video, sese res habet in epodo 2, cuius veram rationem adhuc viri docti parum videntur intellexisse. Nam quod post versum 22 huius epodi in codicibus A′ γ C λ′ duobus Blandiniis et apud Acronem carminis contextus interrumpitur, non tam ad novum epodum, quam ad eiusdem epodi novam partem incipientem spectare videtur. Quibus codicibus prorsus neglectis cum totum epodum viri docti ad unum omnes Alfio faeneratori tribuerent, a vero, ni fallor, aberrarunt. Immo recte se habet, quod in praescriptionibus, quibus quanta fides habenda sit, Kiesslingius luculenter docuit in commentatione supra laudata, aperte significatur: ad v. 1: vitam agricolarum summa tranquillitate exornatam prosequitur. ABλ. laudatio vitae rusticae F. laudatio vitae rusticae exornatae summa tranquillitate rerum γ; ad v. 23: introducit quendam feneratorem loquentem (et laudantem vitam quietem add. A.) et non tamen suum propositum deserentem Aλ. Viginti duo igitur versus priores ipsi Horatio, sequentes demum Alfio tribuendi sunt. Neque id neglegendum est, quo magno opere iuvor, inscriptiones codicum B et F et ipsas tantum in priores 22 versus quadrare, de sequentibus apte dici non potuisse; denique codicem ψ (qui unus e duobus F est),

[1]) Quocum conferenda sunt quae de Acronis et Porphyrionis ad textum constituendum auctoritate Kellerus *exposuit* in mus. Rhen. XIX 1864 p. 226.

quamvis epodum continuet, in margine eandem inscriptionem, atque codicem λ, exhibere.

Verum cum testimoniis veteribus sententia nostra satis fulcitur tum quamquam certis firmisque argumentis non demonstrari, sensibus tamen facile percipi potest, cum de eadem materia, de vita rustica et in versibus 1—22 et in sequentibus agatur, prorsus ab alia parte et diversis coloribus eam in his depingi, quam in illis. Nam ipsum initium, quod vernacula lingua afferre mihi liceat: Glücklich der Mann, der dem Staatsdienst fern, wie ein altes Menschengeschlecht die väterliche Scholle mit eignen Rindern pflügt von allem Wucher frei. Ihn schreckt als Kriegsmann nicht das grause Kampfsignal; er bebt nicht vor des Meeres Wut und meidet das Forum und die stolze Schwelle mächtigerer Mitbürger — quid sibi velit in ore Alfii faeneratoris? Num illum stipendia meruisse, num navigium fecisse putas, qui turpe lucrum solum quaesivit? num nobilium domus frequentasse, quem quin omnes, quibus eo opus non erat, aeque ac poeta despicerent, fieri non poterat? cum ii, quibuscum negotiatus est, humiles fortasse magis, quam superbi ei essent? Contra omnia optime sese habent, si ipse Horatius locutus est. Illum desiderio amissi agelli paterni haec scripsisse quid mirum? Horatius nuper a militia ipsi perniciosissima, e navigio periculoso Romam reverterat; amisso praedio paterno pauper factus, ut munus illud scribae praetorii, quo tum functus est, emeret, aes alienum fortasse contraxerat; et id ipsum munus ne sibi eriperetur, patronorum nobilium favorem ut captaret, cogebatur. Quae omnia si secum cogitabat, feliciora pueritiae tempora fortasse recordatus est et e tali animi mentisque habitu, imprimis nimirum e patris optimi recordatione, quem quanta pietate, quanto amore complexus sit, saepius ipse testatur, cuiusque Manes clarius etiam tum manifestiusque oculis eius obver-

sabantur, egregia illa rei vitaeque rusticae imago v. 9—22 fluxit. Nam quod potest sincerius naturae gaudium, quae integrior agriculturae delectatio cogitari, quam quae poeta paucis versibus simpliciter, candide, omni modo absolute descripsit? Tale quid Alfium sensisse vel Alfio faeneratori poetam tam eximiam integrae incorruptaeque mentis significationem tribuisse credibile est? Denique apte planeque haec pars numinum agrestium Priapi et Silvani commemoratione concluditur.

Huic igitur ipsius sententiae poeta diversum faeneratoris cuiusdam de vita rustica judicium opposuit, sive ambos inter se colloqui sive Horatio loquenti Alfium supervenire sive quasi in scena a diversis partibus stantem suam utrumque personam agere cogitare mavis. Nam quod summum est, nullum sincerum rei rusticae gaudium invenies; sed Alfius subito et exigui temporis impetu animique motu, post quem iam proximo temporis momento turpem quaestum eum fecisse extremis quattuor versibus poeta narrat, de vitae rusticae commodis et praestantia cogitat et loquitur — variis ille causis commotus: pigritia, venandi cupidine, impudicitiae amorumque et luxuriae urbanorum satietate et taedio, denique avaritia. Quas veras rationes poeta faeneratorem tegentem et varia simulatione occultantem facit, ita tamen, ut ubique fere perspiciantur. Quare non casu factum videtur esse, ut prior pars, quae ex intimo Horatii animo originem duxit, sine haesitatione et offensione decurreret. Contra in posterioris versibus 37/38. 51/52. non immerito Peerlkampius offendit, nisi quod falso idcirco poetae abiudicandos esse censuit, quos pro minus perfectis habere, debuit; neque reliqua omni reprehensione carent.

Quae si recte disputata sunt, cum nunquam in Horatii codicibus singula carmina falso dirempta inveniantur, etiam hanc ob causam tale quid de c. I 7 cum aliqua veri specie

statuere non possumus, sed reiciendam eorum sententiam censemus [1]), qui hoc carmen pro una continua oda vendunt. Itaque cum duo Horatii carmina 14 et 18 versuum habeamus, Meinekii et Lachmanni lex, quam vocant, stare non potest.

Alia accedit causa, cur viris doctis assentiri nequeam, epodorum Horatii et carminum necessitudo. Nam cum Horatius in carminibus vel eodem, quo in epodis (ep. 12 = carm. I 7. 28) vel simillimo metro saepius (cf. ep. 12 cum c. IV 7; ep. 1—10 cum c. II 18; ep. 11. 13—16 cum c. I 4) usus sit, nulla probabilis ratio adhuc reperta est neque reperiri potest. cur modo hanc eum modo illam compositionis normam adhibuisse putemus. Certe carminum elegantiae prave consuluisset, si compositionis distichae et tetrastichae differentiam delevisset. Neque vero quod ad res quidem et argumenta spectat, ut hoc quoque quamquam obiter perstringam, Horatii epodi et carmina omnino diversa atque disparata sunt, sed et epodi carminibus simillima inveniuntur et carmina epodis [2]). Quare perverse agunt, qui disiungant, quae ipsa et metrorum et rerum natura cohaerent atque artissime inter se connexa sunt.

Denique mirum profecto esset, si reapse Horatius quaternorum versuum strophas formasset, quod in canticis Senecae tragici, quae ubique versuum eius lyricorum aperte declarant imitationem, talis legis nulla vestigia apparent. cf. L. Mueller edit. praef. LIII; quamquam nihil certi inde concludi posset, si alia argumenta deessent.

Quibus de causis omnibus persuasum equidem habeo, non epodos modo, sed etiam Horatii carmina epodica distichorum forma composita esse. Horatius igitur, de quo nos agimus, universam horum carminum componendorum

---

[1]) Eandem quam ipse sententiam professus est Bartsch in: Fleckeis. ann. 1875 p. 701.

[2]) Cf. Siess. Zu den Epoden des Horaz. Progr. Graz. 1875 p. 35.

rationem a Graecis vel potius ab Archilocho imitatione expressit neque ab eorum norma recessit nisi in nonnullorum metrorum formatione. Et iure quidem illos imitatus est, quod si minus fecisset, metrorum proprietatem parum perspexisset.

§ 6. De carminibus monostichis.

Horatius duobus versibus tota carmina continuavit, asclepiadeo minore et maiore atque illo quidem c. I 1. III 30. IV 8, hoc c I 11. 18. IV 10; et hoc Catullus quoque c. 30 composuit.

De Horationarum carminum compositione quid statuam, dubium esse non potest, cum supra inscriptionum et artis metricae scriptorum testimonia attulerim. Profecto ne de his quidem Meinekii sententia probari potest, sed carmina, ut monostiche perscripta, ita re vero *μονόκωλα* sunt; quod egregie confirmatur c. IV 8, quale in omnibus codicibus exstat, 34 versibus formato. Qui versuum numerus cum systematum quaternis versibus formandorum legem prorsus everteret, iniuria frustraque viri docti modo duas modo sex modo plures versus modo totum carmen Horatio abiudicaverunt. Sed de hoc carmine copiose ornateque Haeussnerus l. l. [1]) disputavit, cuius commentationem, cum mihi plane non sit, quod addam, neque acta agere iuvet, laudasse omnibusque commendasse satis habeo.

Iam cum versibus asclepiadeis et Alcaeus (cf. fr. 33. 37. 39. 41. 84) et Sappho (cf. fr. 56. 68. 69) usi sint, utrius vestigia Horatius in carminum compositione presserit, quaerendum est; respondeo: Alcaei, nisus in Mar. Victor. 150,25 sq.: »idem (sc. Horatius; [Phalaecus] codices per-

---

[1]) Haeussner. De Horatianorum carminum libri quarti octavo. Progr. Freiburg 1876.

verse addunt) etiam tres choriambos uno versu copulatos induxit mutuatus id quoque ab Alcaeo«. Caes. Bass. 259,4 coll. 259,30. Neque omnino Sappho haec carmina sua *μονόκωλα* esse voluit, sed per binorum versuum systemata composuit teste Hephaest. c. 17 p. 60 W. coll. c. 10 p. 35 W. et c. 2 p. 65 W. Quod si Alcaeus quoque fecisset, iam vero si, quod viri docti nonnulli perperam opinati sunt, per quaternorum versuum strophas haec carmina sua disposuisset, Hephaestion id non potuit non commemorare.

Verum alius, ne hunc omisisse videar de ea re exstat locus Atil. Fortun. 295,20 sqq.; ubi in codicibus haec inveniuntur: »Asclepiadeon metrum vocatur, non quod repertor eius Asclepiades fuerit, sed quod eo familiarius et frequentius sit usus. ante illum enim usi Alcaeus et Sappho hoc integro usa est (in add. ς) libro quinto inter binos versus decurrunt melica systematica sunt (om. ς) hoc est (om. ς) binis vel tribus vel quattuor versibus constant.« Quae verba cum aperte corrupta sint, viri docti diversa ratione medelam iis afferre conantur. Sed Bergkium [1]) et Hertzium perperam coniecisse, si quidem eam eliciunt sententiam, Horatii carmen binorum versuum strophis decurrere, quod nullo modo ferri posse, Keilius recte monuit. Neque tamen quod ipse proposuit, probabile vel tolerandum est, sed tautologia, quam effecit: „inter binos <vel ternos vel quaternos> versus decurrunt melica: systematica sunt, hoc est binis vel tribus vel quattuor versibus constant" ab Atilii brevitate prorsus abhorret. Et totum mendum tam singulare (certe equidem simile apud Atilium non inveni) et sententiarum nexus tam impeditus est, ut vix facere posse videamur, quin haec e duobus fontibus desumpta

[1]) Bergkii commentationem academicam beneficii Thielemanniani lege editam Halis 1863, in qua Atilii verba sanare conatus est, mihi praesto non fuisse doleo. Bergkium Hertzius in Fleckeis. annal. 1866 p. 580 maxima ex parte secutus est.

esse putemus, e Caesio Basso nimirum et Iuba, cuius instar nobis Mar. Victorinus est, qui ex illo sua hausit. Unum autem vitium Bergkius recte, ni fallor, in voce »melica« detexit, alterum in »inter« latet; nam quis unquam carmina »inter binos versus« decurre dixit? Praeterea vero inter versum ex Horatio allatum et eius explicationem, ut nunc fertur, excidisse puto: »prima ode monocolos est« (cf. 297,6 tertia ode dicolos est. 298,8 quarta quoque dicolos. 299,22 quinta ode cet.); quod minus audax est, quia complura et in antecedentibus et in insequentibus aperte omissa sunt in codicibus cf. 294,25. 27. 295,2 10. 296,16. 17. Quibus praemissis iam totum locum sic restituere audeo: <Prima ode monocolos est>. (asclepiadeon metron vocatur, non quod repertor eius Asclepiades fuerit, sed quod eo familiarius et frequentius sit usus. ante illum enim usus Alcaeus; et Sappho hoc integro usa est in libro quinto, sed per binos versus decurrunt μέλη). alia systematica sunt, hoc est binis vel tribus vel quattuor versibus constant«. Hoc modo Atilius et reliqui metrici, quos supra attuli, bene inter se conciliantur. Deinde, si quae uncis rotundis inclusi omiseris, Atilius brevius idem, quod longius Marius tradit, — ambo nimirum Iubam secuti:

Mar. Victor. 160,33.

Prima igitur eiusdem ode monocolos inducitur, id est unius metri qualitate composita. sed et ea quae unius generis habent cola eadem appellatione censentur, dicoloe autem duorum, similiter tricoloe vel tetracoloe trium seu quattuor generum diversitate subsistunt. prima ergo ode ut quidam putant a pentametro nascitur *cet.*

Atil. Fort. 295,19:

<Prima ode monocolos est>. alia (sc. μέλη) systematica sunt, hoc est binis vel tribus vel quattuor versibus constant. hoc metrum videtur a pentametro epodico natum cet.

Huius fontis (Iubae) continuitatem Atilius videtur interrupisse interiectis, quae in parenthesi posui e Caesio Basso, cuius operis partem, quae ad nos pertinet, quamquam nunc perditam dolemus, tamen eum semper Graecorum rationem habuisse e fragmento servato satis intellegitur.

Quibus expositis, licet singula alius fortasse verius restituat, universam huius loci sanandi viam recte me indicasse spero et perverse egisse virum doctum comprobasse, qui Atilii auctoritate nisus Horatium fortasse versus asclepiadeos per binorum versuum systemata disposuisse opinaretur. Immo vero omnibus, quae attuli, apparet Alcaeum et eum secutum Horatium haec carmina μονόκωλα reddidisse; Sappho vero alia lege sibi statuta binos versus in strophas coniunxisse.

Iam Catullum, qui alias interdum Sapphus imitationis compertus est, etiam in uno, quod ille versibus asclepiadeis continuavit carmine 30 poetriae vestigia pressisse cum magna veri similitudine viri docti Lachmann Haupt Schwabe Ellis L. Mueller statuerunt, ut per binos versus id carmen dispertirent. Quod eo magis placet, quia post secundum quemque versum etiam sententia enunciatumque a Catullo finitur. Tamen, quoniam nullis veterum testimoniis confirmatur, pro certo haberi nequit; et dubitatio etiam ea re augetur, quod Theocritus duo idyllia (28 et 30) hoc metro formavit, quae aperte monocola sunt, Catullum autem praeter ceteros poetas Alexandrinos imitatum esse, inter omnes constat.

Denique hoc loco ep. 17 commemoranda est, quae 81 trimetris iambicis continuatur, ut aperte monocola sit. Neque magis dubium esse potest, quin Archilochum Horatius omni ex parte expresserit. cf. Archil. fr. 21. 25. 27. 29. 30. 32.

Proximum est, ut

§ 7. de carminibus tetracolis

agam. Atque Horatius quattuor strophis tetrastichis usus est, Sapphica, Alcaica, duabus Asclepiadeis.

Stropha Sapphica e versu Sapphico hendecasyllabo ter repetito et versu adonio constat, cui nomen inditum esse, quia saepissime a Sappho in usum vocata, non quia ab illa inventa esset, supra monui. Nam Alcaeus quoque ea usus est eamque iisdem ac Sappho legibus formavit, ut, cum et apud Catullum et apud Horatium inveniatur, utrius exemplum hi secuti sint, sola ratione metrica effici non possit. Verum et aliis de causis Horatium ab Alcaeo id metrum petivisse verisimile est et prorsus confirmatur auctoritate Caesii Bassi 266,25. Contra Catullum a Sappho pendere inde concludendum est, quod in altero duorum carminum, quae hoc metro conscripsit, non formam modo, sed etiam res et verba ex illa imitatione expressit (in c. 51 coll. Sapph. fr. 2).

Quae cum ita sint cum universum metrum a Graecis et Catullus et Horatius petiverint, in singulis compositionis normis ab illis aliquanto differunt neque inter se consentiunt. Nam si quidem e fragmentis servatis, quam rationem in Sapphica stropha componenda poetae Lesbii adhibuerint, iudicare licet, illi, quod viros doctos adhuc fugit, inter primum et secundum et tertium versum hiatum, nunquam synaphiam; inter tertium et quartum quemque versum synaphiam, nunquam hiatum admisisse videntur,

cf. Sapph. 1,21 sqq. *καὶ γὰρ αἰ φεύγει, ταχέως διώξει,*
αἰ δὲ δῶρα μὴ δέκετ', ἀλλὰ δώσει,
αἰ δὲ μὴ φίλει, ταχέως φιλήσει
κοὐκ ἐθέλοισα.

1,11 sq. *πύκνα δινεῦντες πτερ' ἀπ' ὠράνω αἴθε-*
ρος διὰ μέσσω saepius.

Itaque unum, qui huic legi in Bergkii editione officere videtur versum Sapph. 2,9 cum Plutarcho potius

ἀλλά καμ μὲν γλῶσσ' ἔαγ', ἀν δὲ λέπτον,

quam cum Longino, quem Bergkius secutus est,

ἀλλὰ καμ μὲν γλῶσσα ἔαγε, λέπτον δ'
αὔτικα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν.

legendum esse censeo: Contra Catullus synaphiam promiscue inter omnes versus, nusquam hiatum habet: cf. Cat. 11,22 sq.:

qui illius culpa cecidit velut prati
ultimi flos, praetereunte posquam.

11 sq. Gallicum Rhenum horribile aequor [1]) ultimosque Britannos.

Quod casune an consulto factum sit, equidem diiudicare non audeo. Denique alia et paulo liberiore neglegentioreque ratione usus Horatius inter omnes versus et hiatum et synaphiam admisit; nam secundum Schillerum, qui singulos locos diligenter, utque cum mea ipsius inquisitione fere plane consentiat, collegit, apud Horatium intercedunt

inter 1 et 2 versum strophae

hiatus I 2,41. 12,25. II 16,5. III 11,29. 27,33, nusquam synaphia;

inter 2 et 3 versum

hiatus I 2,6. 12,6. 25,18. 30,6. II 2,6. 4,6. III 11,50. 27,10 synaphia II 2,18. 16,34. IV 2,22;

inter 3 et 4 versum

hiatus I 2,47. 12,7. 31. 22,15, synaphia I 2,19. 25,11. II 16,7. IV 2,23. c. s. 47.

Secunda stropha, Alcaica, e hendecasyllabo bis repetito, enneasyllabo, decasyllabo versibus Alcaicis formatur. Ut singulos versus demonstravi, ita universam stropham Horatius,

[1]) horribile aequor Haupt. horribilesque codd.

ab Alcaeo petivit. cf. Diom. 520,28 al. Sed paucae nunc totae servatae sunt Lesbiorum strophae, quae cum Horatianis comparari possint, Alc. fr. 9. 18. 34. 35 Sapph. fr. 28. Quare magis, quam in stropha Sapphica pro certa lege vendere dubito, quod observavi, et cui nunc nihil obstat, inter tres primos versus hiatum, inter tertium et quartum tantum synaphiam a poetis Lesbiis admissam esse cf.

Alc. fr. 35 *προκόψομεν γὰρ οὐδὲν ἀσάμενοι,*
ὦ Βύκχι, φάρμακον δ' ἄριστον.

Sapph. fr. 28 *αἴδως κέ σ' οὐ κίχανεν ὄππατ',*
ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίως.

Apud Horatium singuli versus hiatu saepe dirimuntur, bis synaphia junguntur: II 3,37. III 29,35.

Iam has strophas, Sapphicam et Alcaicam quasi exemplaria, ni fallor, sibi proponens Horatius novas duas ipse finxit singulis versibus ab Alcaeo petitis. Atque e Sapphicae similitudine mihi videtur eam composuisse, quae e versu asclepiadeo minore ter repetito et glyconeo constat. Nam hanc stropham, qua usus est Horatius in c. I 6. 15. 24. 33. II 12. III 10. 16. IV 5. 12, eum non integram ab Alcaeo mutuatum esse, quod vult Westphalius II 763 sq., sed singulis Alcaei versibus adhibitis compositionem ipsum novasse testatur Diom. 520,7: sexta ode tetracolos Horatianum metrum habet cf. 522,22. Neque Diomedis auctoritati vel minime officit Sapph. fr. 64, in quo Westphalius niti conatur sic scribens:

ἐλθόντ' ἐξ ὀράνω πορφυρίαν ἔχον-
τα προϊέμενον χλάμυν.

nam id quidem nimis incertum est, ut a Bentleio et Seidlero emendetur: *ἔλθόντ' ἐξ ὀράνω πορφυρίαν περθέμενον χλάμυν.* Quod vero dixi Horatium in hac stropha fingenda Sappho ante oculos habuisse videri, id significare volui, eum universam

compositionis rationem, qua cum tribus aequis versibus quartus quasi epodicus conjungitur, inde petivisse.

Eodemque modo, ni fallor, cum alteram stropham tetracolam asclepiadeam, quam in c. I 5. 14. 21. 23. III 7. 13. IV 13 adhibuit, e duobus versibus asclepiadeis cum pherecrateo et glyconeo conjunctis formaret, Alcaicae strophae rationem respexit, qua duobus versibus longioribus breviores duo ita adduntur, ut horum ipsorum prior brevior, quam insequens sit. Hoc metrum vero ab Horatio novatum esse et ipse Diom. 519,34. 522,14 tradit. Quamquam Westphalius II 764 rursum Alcaeum pro auctore totius strophae habet et Alc. fr. 43 affert:

Δάταγες ποτέονται
κυλιχνᾶν ἀπὸ Τηΐᾶν

sed ne ex hoc quidem certi aliquid contra Diomedem effici potest.

Haec Horatii carmina omnia sunt, nisi quod unum adhuc omisimus, de quo jam videndum est,

§ 8. de carmine III 12 ionicis conscripto.

Hoc carmen interpretum quasi crux est et diversissimis rationibus ab iis distinguitur. Atque cum Bentleio Meinekius, Ritterus, Orellius, Christius, nunc Kellerus Holderusque quater binos tetrametros ionicos cum singulis dimetris conjunctos esse statuunt; olim Kellerus Holderusque cum Westphalio quattuor strophas binis dimetris binisque trimetris formatas discreverant; paulo aliter Nauckius cum Kirchnero quattuor strophas e binis dimetris cum singulis tetrametris singulisque dimetris conjunctis fictas statuit; contra Lachmannus et L. Muellerus [1]) totum carmen pro una stropha quater decem ionicos complexa habent; denique Peerlkampius

[1]) L. Muelleri sententiam prave intellexit Herbst in Fleckeis. ann. 1875 p. 119.

carmen per decem tetrametros ionicos monostichos continuat. Quae tanta virorum doctorum inter se dissensio vix mira esse potest; nam si ab eo, quod solum certum firmumque habemus, fundamento principioque, si a codicum auctoritate recesseris, e libidine omnia pendent. In morem autem fere venit et passim increbuit id vitium, ut, cum in textu, qui vocatur, constituendo recte omnes codicibus plurimum tribuerent, in metro distinguendo suum quisque arbitrium sequeretur. Quod perverse factum esse primus, ni fallor, Brambachius [1]) recte intellexit; et quod ille de Sophocle contendit, etiam in metris constituendis a codicibus proficiscendum esse, id de omni poesi, quae quidem codicibus melioris notae servata sit, valere equidem censeo. In Horatii carmine vero genuina veraque distinctio in tribus codicibus A'B omnino recte, in codicibus γ Cτ RF fere recte servata est. Nam in A'B carmen ita decurrit:

1. Miserarum est neque amori dari ludum
neque dulci mala vino lavere aut ex-
animari metuentes patruae verbera linguae.
4. Tibi qualum Cythereae puer ales,
tibi telas operosaeque Minervae
studium aufert, Neobule, Liparaei nitor Hebri,
7. Simul unctos Tiberinis umeros la-
vit in undis eques ipso melior Bel-
lerophonte neque pugno neque segni pede victus;
10. Catus idem per apertum fugientis
agitato grege cervos iaculari et
celer arto latitantem fruticeto excipere aprum.

A quo recto ordine codices γ Cτ RF bis aberraverunt, ut v. 7/8 lavit et 8/9 Belle-rophonte perverse dividerent; quod vitium in Sophoclis codicibus sexcenties habes. cf.

---

[1]) W. Brambach, Metrische Studien zu Sophokles. Leipzig 1869 p. 31 sq.

Brambach l. l. p. 51. Neglegentiores vero in dividendo tantum deterioris notae codices λ′ δ′ π L u′ sunt. Iam cum codicibus Acron consentit, consentiunt rei metricae scriptores Mar. Victor. 129,27. 169,11 (idem quod 53,2. 64,18. 91,13 primum versum tetrametrum reddit, aperte erravit) Atil. Fort. 289,24. Ter. Maur. 2068 Plotius 542,11. Diom. 510,28. Quare satis apparet genuinam carminis distinctionem eam esse, qua quattuor strophae ternorum versuum (binorum trimetrorum cum singulis tetrametris) per synaphiam coniunctorum efficiuntur.

Deinceps quae ratio inter Horatium et Alcaeum intercedat videndum est, cum e Mar. Victor. 129,24 Horatium Alcaeum ante oculos habuisse satis constet. Atque de Alcaeo cum Hephaest. c. 3 p. 66 W. tradat: *Ἐξ ὁμοίων δέ ἐστιν ἅπερ ..... · ὡς ἐὰν τεταγμένος ἀριθμὸς ᾖ, οὐκ ἔστιν ἐξ ὁμοίων, ἀλλὰ κατὰ σχέσιν, ὡς ἐν τῷ παρ᾽ Ἀλκαίῳ ᾄσματι, οὗ ἡ ἀρχή*

ἔμε δείλαν ἔμε πασᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν.

Ἄπειρος μὲν γάρ τις ὢν κ.τ.λ. viri docti inde a Bentleio statuunt, tetrametrum illum primum versum strophae decem ionicos complexae esse. Sed Hephaestionis hoc loco tantum intererat demonstrare, denos ionicos ab Alcaeo continuo ordine repetitos esse; singulos versus neque hoc loco neque p. 67 n. et p. 38 W. curavit, ut nihil obstet, quominus Alcaeum ita potius divisisse putemus:

ἔμε δείλαν, ἔμε πασᾶν κακοτάτων
πεδέχοισαν ......

Quod verum esse etiam idcirco mihi probatur, quia Marius Victorinus Horatium Alcaeum expressisse luculenter testatur, et quia ipse Marius, cum duobus locis trimetrum Horatii recte afferat, aliis, quos supra enumeravi, aperte deceptus primum versum tetrametrum reddit. Quare etiam

hoc metrum omni ex parte ab Horatio ex Archilocho imitatione expressum esse crediderim.

Quoniam de singulis carminibus Horatii omnibus exposui, restat, ut

§ 9. de ratione, quae inter Catulli, Horatii, poetarum lyricorum Graecorum metra intercedat,

in universum agam et singula, quae effeci, breviter repetens et addens, quae addenda videantur.

Atque cum ultimis liberae reipublicae temporibus duae quodammodo poetarum scholae Romae exsisterent, quorum alteri veterum poetarum Latinorum vestigiis ingressi horum artis leges servare atque excolere conabantur; alteri, quos *τοὺς νεωτέρους* Cic. ad Att. VII 2,1 nominat, a rudi atque obsoleta popularium arte abhorrentes ad Graecorum et imprimis ad Alexandrinorum poetarum studium atque imitationem sese applicabant, horum longe principem et habitum esse et fuisse Q. Valerium Catullum inter omnes constat. Qui cum ex Alexandrinorum numero praeter ceteros Callimachum Battiadem imitandum sibi proposuisset, mox magna poesis artisque gloria apud aequales floruit. Sed ut omittam cetera[1]), quae ad nostrum propositum proprie non pertinent in re metrica Callimachi imitatio praesertim spectatur in distichi elegiaci frequenti apud Catullum usu, quod Callimachus et in carminibus et in epigrammatis saepissime et Catullus in c. 65—116 adhibuit. cf. Diom. 484,22; spectatur in hexametri dactylici formatione, de qua supra diximus. Deinde trimetros *σκάζοντας*, qui vocantur, sive Hipponacteos et versus phalaecios et ipsos Catullus et eius aequales ab

---

[1]) In universium de his rebus egit: C. P. Schulze De Catulla Graecorum imitatore. Diss. Jen. Jenae 1871.

Alexandrinis petitos litteris Latinis intulerunt. Haecce autem ea sunt metra, quae saepius apud Catullum inveniuntur. Et e reliquis quoque versus galliambus, qui vocari solet (Cat. c. 63), Alexandrinorum proprius erat.

Quae omnia si contempleris, fere nulla videbuntur ea, quae veterioribus poetis lyricis Graecorum Catullus accepta refert. Nam Sapphicam quidem stropham Sappho certe debet, eidem utrum metrum asclepiadeum debeat, an hoc quoque ab Alexandrinis acceperit, dubium esse potest. Deinde versum priapeum Catullus (c. 17) e Sappho vel ex Anacreonte expressisse videtur; nam utrum potius secutus sit, non liquet. Confidentius Anacreontis imitatio statui potest in c. 34.61, quae e glyconeis et pherecrateis per quaternorum vel quinorum versuum strophas conformata sunt, coll. Anacr. fr. 1—7. 8. 14. Verum haec, ut dixi, pauca sunt et comparatione aliorum fere evanescunt. Nam relictis quattuor carminibus iambicis, de quibus supra disputavi. tantum 6 (5) carminum metra a veterioribus lyricis Graecis, 106 (107) ab Alexandrinis Catullus imitatione expressit. Denique aliorum poetarum veterum praeter Sapphus et Anacreontis vestigia apud eum non reperiuntur.

Cui rationi plane contrariam Horatius secutus est. Quamquam enim in ep. 16 et in ea hexametri dactylici formandi ratione, qua in omnibus epodis usus est, (ut diligenter, ne post quartum trochaeum versus incideretur, caveret), Alexandrina exemplaria sibi proposuit, mox prorsus ea reliquit et ceteros epodos praeter ep. 13, cuius metrum ipse fabricatus est, omnes de Archilocho, quod quidem ad metra pertinet, expressit. Deinde cum ad carmina scribenda animum contulisset, ad Alcaei potissimum imitationem sese applicavit; sed ne tum quidem Archilochum imitandum omisit. Neque tamen Horatius se quasi in servitutem exemplaribus suis addixit, sed libere eorum vestigiis ingressus,

quas illi adhibuerant versuum formandorum normas, eas pro sua parte e Latinae linguae indole ipsiusque exculta elegantia conformare atque expolire studuit; iam singulos versus plerosque ab Alcaeo, unum ab Archilocho mutuatus, unum ipse fabricatus nova metra composuit. Itaque ex 104 carminibus Archilocho 4 (I 4. 7. 28. IV 7), Alcaeo 70 (et c. ionicum III 12 et 37 Alcaica, 26 Sapphica, 6 asclepiadea monocola) debet; ipse 30 composuit (et c. I 8. II 18. et 28 asclepiadea dicola et tetracola). Aliorum poetarum Graecorum metra praeter Archilochi et Alcaei Horatius imitatus non est.

Quocum egregie, ut iam disputandi finem faciam, conspirat, quod ipse de se Horatius ep. I 19, 21—34 praedicat.

Theses.

1.

Porphyrionis nota ad Hor. carm. I. 10,1: »hymnus est in Mercurium ab Alcaeo poeta lyrico« viri docti significari putant, Horatium hoc carmen totum ex Alcaeo imitatione expressisse. Cf. O. Jahn in Herm. III p. 187. Rectius explicanda videtur, Horatium fabulam de Mercurii furto ab Alcaeo petivisse. Cf. Porphyr. ad Hor. carm. I 10,9. I 15. Acron. ad. carm. I 16.

2.

Cic. de off. I 3,8 egregie ab Ungero (Philol. Supplem. III) ita restituta est: »Atque perfectum officium rectum opinor vocemus, quoniam Graeci *κατόρθωμα*, hoc autem commune officium vocant medium; medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit.«

3.

Soph. Oed. Tyr. 492—496 ∾ 507—511 respecto cod. La. optime sic distinguuntur:

ἔμαθον, πρὸς ὅτου δὴ βασάνῳ
ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον
φάτιν εἶμ' Οἰδιπόδα, Λαβ-
δακίδαις ἐπίκουρος ἀ-
δήλων θανάτων.

*
* *

φανερὰ πτερόεσσ' ἦλθε κόρα
ποτέ, καὶ σοφὸς ὤφθη
βασάνῳ θ' ἁδύπολις · τῷ
ἀπ' ἐμᾶς φρενὸς οὔποτ' ὀ-
φλήσει κακίαν.

4.

Cicero in libris de officiis cum aliis in rebus perverse egit tum ne intellexit quidem, quid ea sit virtus, quam »cognitionem veri« ipse, φρόνησιν Stoici appellant. Cf. de off. I 6, 18—19 et I 43,153—44,158.

5.

Es entspricht nicht amhd. êr got. air, auch ist ahd. êriro kein Komparativ von êr; vielmehr lautet der Positiv got. air cf. griech. ἠρί (fehlt hochdeutsch), der Komparativ in adjectiver Form. got. airiza ahd. êriro mhd. êrer êrre êr, in adverbialer Form got. airis (Luc, 10,13) ahd. [êrir êrer] êr mhd. êr ê.

6.

Schönbachs Versuch (Zeitschr. f. dtsch. Philologie VI), den Text von Ulrich Boners Edelstein allein auf die Handschrift A zu stützen, ist verfehlt.

7.

Dem deutschen Unterrichte dürfte auf den Gymnasien ein erhöhtes Gewicht beizulegen und namentlich in den oberen Klassen eine grössere Stundenzahl zuzuweisen sein.

Vita.

Carolus Bock natus sum Ratzeburgi in urbe Lauenburgensi pridie Cal. Maias anni p. Chr, n. 1858 patre Christiano, mercatore, urbis patriae senatore, matre Maria e gente Frahm, quos ambos superstites esse gaudeo. Confessionem profiteor evangelicam.

Disciplinae puerilis initiis imbutus novem annos natus in gymnasium Ratzeburgense receptus sum. Cuius deinceps ordinibus superatis maturitatis quod vocatur testimonium adeptus vere anni 1876 civibus academicis Marburgensibus ascriptus sum.

Deinde per ter sex menses Marburgi, per posteros bis sex Lipsiae, per bis sex insequentes menses Göttingae in studia incubui imprimis philologica, aliquanto minus historica et philosophica. Magistris usus sum Caesar Cohen L. Schmidt Lucae Nissen Marburgensibus, Arndt Brandes Braune G. Curtius Edzardi Heinze Lange Lipsius Ribbeck Seydel Zarncke Lipsiensibus, Baumann W. Müller Pauli Sauppe Gottingensibus. Seminarii philologici Marburgensis per ter sex, Lipsiensis per sex menses, seminarii Theutisci Marburgensis per ter sex, Lipsiensis per bis sex menses sodalis fui. G. Curtius, ut societati suae grammaticae per sex menses, W. Müller ut per bis sex menses societati suae Theutiscae interessem benigne concesserunt. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias maximas habeo.

Triennio igitur philologico et sex praeterea mensibus peractis examen pro facultate docendi Göttingae subii. Quo superato inde a Cal. April. h. a. in gymnasio Rendsburgensi magistri atque adjutoris vice fungor.

Index.

	pag.
Praefatio	5—7
Cap. I De singulorum versuum formatione.	
§ 1 De versibus dactylicis	7—12
§ 2 De versibus iambicis et trochaicis	12—23
§ 3 De versibus dactylo-trochaicis	24—26
§ 4 De versibus logaoedicis	27—35
Cap. II De carminum compositione.	
§ 5 De epodis carminibusque epodicis	35—55
§ 6 De carminibus monostichis	55—58
§ 7 De carminibus tetracolis	59—62
§ 8 De carmine III 12 ionicis conscripto	62—65
§ 9 De ratione, quae inter Catulli, Horatii, poetarum lyricorum Graecorum metra intercedat	65—67
Theses	68—69
Vita	70

Fünfter

Jahres-Bericht

des

k. k.

Staats-Real- u. Ober-Gymnasiums

in

NIKOLSBURG

für das Schuljahr 1878.

Inhalt:

1. Ueber den apologetischen Charakter der horazischen Satiren vom Gymnasiallehrer Franz Hanna.

2. Schulnachrichten vom Director.

NIKOLSBURG.

Verlag des Staats-Real- und Ober-Gymnasiums.

Druck von Joh. Bezdieka's Witwe.

Ueber den

apologetischen Charakter der Horazischen Satiren.

Die Schlacht bei Philippi war geschlagen: die beiden Heerführer **Brutus** und **Cassius** töteten sich selbst, das Heer fiel oder trat über oder ging zu S. **Pompeius** nach **Sicilien** oder zerstreute sich. Auch **Horatius**, der an dieser Schlacht als 23jähriger Jüngling in der Eigenschaft eines Legionstribunen selbst Teil genommen (Hor. Sat. I. 6. 48.) warf, da alles flüchtete und er nichts besseres tun konnte, seinen kleinen Schild weg und sagte dem Kriege Lebewohl. (Od. II. 7. 9 ff. Ep. 2. 49.)[1]

Er kehrte nach Rom zurück, „victis partibus venia impetrata“, wenn auch nicht unmittelbar, wie es scheint.[2])

Bei seiner Rückkehr musste er den Verlust seines Vaters betrauern, sein väterliches Gut war ihm geraubt, die politische Freiheit war zu Grabe gegangen. Der verbitterten Stimmung, die ihn in Folge dessen beherschte, suchte er sich in seinen Gedichten zu entschlagen. Er selbst sagt von sich Ep. II. 2. 49 ff:

Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis inopemque paterni
Et Laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem.[3])

Nicht um sich von den Buchhändlern Geld zu verdienen[4]) wol auch nicht um sich die Gunst vornehmer und einflussreicher Männer Roms zu verschaffen, machte er Gedichte, sondern die paupertas machte ihn kühn; bei seiner Bildung, bei seiner Kenntnis der Sprache fühlte er in sich die Möglichkeit etwas zu leisten und zwar war es die satirische Dichtgattung, für die er die meiste Befähigung in sich erkannte und die seinem freiheitsliebenden Sinne am meisten zusagte (Sat. II. 1.28 ff)[5] Wenn es wahr ist, dass grosse Geister

---

[1]) Vgl. Teuffel Charakt. des Hor. 39; Weber Horat 42. Note 33.

[2]) Masson vita Horat. 56ff. Passow. Horat. Leben und Zeitalter vor seinen Episteln XXXIV.

[3]) Vgl. über versch. Auffassungen dieser Worte: Fritsche in seiner Ausgabe der Satiren p. 3, Note 2.

[4]) Vgl. Becker's Gallus. II. 331.

[5]) Treffend sagt Weber l. l. p. 54. „Er übte die Dichtkunst aus Trotz gegen das prosaische Schicksal und ergriff ihre herbste Gattung, um seine Oppositionsstellung gegen die Dinge, wie sie geworden waren, zu bezeichnen.“

nie satirischer sind als in Armut und Unglück, um durch Laune fortzuläugnen, was sonst auf keine Weise zu läugnen ist, so wird dasselbe bei Horatius der Fall gewesen sein.[6])

Zu den frühesten Dichtungen dieser Art gehört unstreitig die zweite Satire des ersten Buches. Der junge Dichter tritt hier mit keckem Mute und bitterer Laune auf gegen die damaligen Laster und Modetorheiten und geisselt besonders diejenigen, welche im Genuss der Liebe kein Mass und Ziel kennen und sich dadurch die grössten Torheiten zu Schulden kommen lassen. Der Satz: Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt (V. 24,) der das eigentliche Thema dieser Satire bildet, wird gleich im Anfange durch ein Paar drastische Beispiele veranschaulicht. Als übermässiger Verschwender wird uns da vorgeführt der jüngst verstorbene Sarder Tigellius, über den alles Lumpenpack zu Rom trauert, ein schon zu Cicero's Zeiten bekannter Musiker und Günstling Caesars, der Cleopatra und des Augustus, dessen Adoptivsohn (?) Tigellius Hermogenes, ebenfalls Sänger und Schöngeist noch lebte.[7]) Als matronarum sectator fungirt Cupiennius (V. 36.)[8]) nach dem Schol. Cupiennius Libo Cumanus, Augusti familiaritate clarus, sowie Galba (V. 46) vielleicht der Enkel des grossen Redners Servius Sulpicius Galba, Freund des D. Brutus (Cic. ad fam. XI. 18. 1) und Mitverschworner gegen Cäsar, der die Schlacht bei Mutina beschreibt in einem noch erhaltenen Briefe an Cicero (ad fam. X. 30);[9]) als libertinarum sectator: Sallustius (V. 48,) vielleicht Neffe des berühmten Geschichtsschreibers und Vertrauter des Augustus (Tac. Ann. I. 6). Ferner werden dem Gelächter preisgegeben ein gewisser Villius (V. 46) höchst wahrscheinlich der von Cicero (ad fam. II. 6. 1.) genannte Sextus Villius, ein Freund des Milo, Liebhaber seiner Frau Fausta, einer Tochter Sulla's; Longarenus (V. 67) ein anderer von den vielen moechi der Fausta (Macrob. Sat. II. 2. 9.)[10]) Cerinthus (V. 81) derselbe Jüngling wahrscheinlich, der bei Tibull Liebesbriefe mit Sulpicia wechselt; Philodemus (V. 121) Epikureischer Philosoph, Zeitgenosse des Cicero, der ihn (de fin II. 35. 119) als Philosophen und orat. in Pis. 29. 70. als eleganten Dichter erwähnt, ja selbst Mæcenas soll versteckter Weise unter dem Namen Malthinus (V. 25.) gegeisselt worden sein, obwohl man die Sache nicht für ausgemacht betrachten kann.[11])

---

[6]) Passow l. l p. XXXVIII. — Teuffel Charakt. 10 meint, es sei der Dichter rein durch äussere Rücksichten geleitet worden. „Er besann sich, welches Feld der Literatur am dankbarsten wäre; er sah sich um in der römischen Literaturgeschichte und fand, dass die Satire noch eines weiten Ausbaues fähig sei und entschloss sich selbst dieser Aufgabe zu unterziehen.“ Er beruft sich dabei fälschlich auf sat. I. 10. 45 f.

[7]) Ueber beide: Kirchners Quæst. Horat. p. 42 ff

[8]) Rufillus und Gargonius sind vielleicht nur fingirte Personen. Weber l. l. p. 126 stellt ohne weitere Begründung beide als notorische Anhänger des Octavian hin Weichert wenigstens (poet. lat p. 427 f) hat dies nur aus Sat. I. 4. 91 ff. geschlossen. cf. Düntzer Kritik II. p. 64 und Kirchner Horaz. Sat. II. 1. p. 40.

[9]) Nach Weichert (lect. Venus. II. 4 ff) A. Galba, ein Possenreisser des Octavianus, über welchen vgl. Quinct. inst. or. VI. 3. und Plutarch Erotic. p. 759.

[10]) Nach Weichert (poet. lat. p. 414), dem Weber (l. l. p. 125) folgt, wäre Longarenus „langer Kerl, Schlagetod,“ ein in den gesellschaftlichen Zirkeln der Aristokratie spottweise aufgebrachter Spitzname des Milo. Diese Vermutung findet sich schon beim Schol. Cruquius.

[11]) Dagegen erklärt sich Lambin. Wieland, Madvig. Fritsche, F. A. Wolf u. A. mit nicht ungewichtigen Gründen.

Alle diese Personen, darunter Günstlinge des siegenden Cäsars, werden in dieser Satire mit schonungsloser Freiheit in ihren Lastern und Torheiten der Welt und ihrem Gespötte preisgegeben.

Seit Lucilius, der die Freiheit des republikanischen Staates benützend und auf den freien Sinn der Bürgerschaft bauend schonungslos die Uebelstände seiner Zeit angegriffen und über die angesehensten, mächtigsten Personen im Staate seine Geissel geschwungen, hatte Niemand die von ihm vorgezeichnete Bahn zu betreten gewagt. Jetzt taucht plötzlich ein Erneuerer dieser Dichtgattung auf in einer Zeit, die von einem ganz andern Geiste durchweht war: Die freie Verfassung Roms war verschwunden, gewichen jener nur den Republiken eigentümliche Sinn für freien Scherz und Spott; das Sittenverderbnis war während der Bürgerkriege zu einem so hohen Grade gewachsen und hatte alle Schichten der Bevölkerung so zerstörend durchdrungen, dass es wohl wenige Häuser geben durfte, die an dieser moralisirenden, kritisirenden Tendenzdichtung Ergötzen und Gefallen fanden.

Ein so neues Phänomen, welches keine Gebrechen der menschlichen Natur unbeleuchtet lässt, konnte nicht bedeutungslos sein für Wohl- und Uebelwollende. „Noch keiner hatte wohl verlernt, ein Abbild seiner ursprünglichen Gesinnung darin zu erkennen; aber nur wenige, für einen veredelnden Geschmack empfänglich und frei genug, um mit Selbstbefriedigung in sich selbst zurück zu kehren, mochten die Dichtung als den Ausdruck einer gesunden Natur nehmen, welche aus harmonischem Behagen an sich selbst als ein Ganzes wirke; die Mehrzahl wurde durch die Rückerinnerung an eine verlorne Wirklichkeit in ihre entstellte Gegenwart gerufen und richtete, wie vor Geistergestalten geschreckt, bald auf die Form der Gedichte, bald auf ihren Inhalt und die Denkungsart dessen, der sie aus ihrem selbstbehaglichen Gewissensschlummer aufscheuchte, die Pfeile ihres Unmutes.“[12])

So war denn die Aufnahme, welche diese Dichtgattung im Publikum fand, eine verschiedene.

Männer wie Vergilius, Varius werden den Wert unseres Dichters, das frische, emporstrebende, grösseres verheissende Talent gleich von Anfang an nicht verkannt haben[13]), und sie versäumten auch nicht, den Mæcenas auf ihn aufmerksam zu machen. Und in der Tat dauerte es nicht lange, so wurde unser Dichter von Vergilius, der damals schon durch seine bukolischen Dichtungen rühmlich bekannt war, und dessen Freunde L. Varius, der als Epiker berühmt war (Hor. Sat. I. 10. 51 f. forte epos acer ut nemo Varius ducit) und als Verfasser von Tragödien, wovon aber nur sein Thyestes bekannt ist[14]) dem Mæcenas vorgestellt, Anfangs 717 oder vielleicht schon Ende 715.[15]) Freilich blieb es einstweilen bei einer Vorstellung. Erst nach

[12]) Passow l. l. p. LXIII.

[13]) Beider Bekanntschaft hatte Horatius warscheinlich eben durch sein Dichtertalent und durch die Verwandschaft des Geistes und Berufes gemacht. Wann Vergilius und Horatius befreundet wurden, lässt sich nicht genau bestimmen. Weichert (de Vario et Cassio p. 39) vermutet, dass beide zu Rom als Zuhörer des Epikureers Siro schon 707 (46) sich kennen gelernt oder wenigstens 713 (40) als Vergilius sich wegen Wiedererlangung seines Landgutes zu Rom aufhielt. cf. Masson vita. Hor. p. 70 f.

[14]) Porph. zu Hor. Oct. I. 6. 1. Fuit L. Varius et epici carminis et tragædiarum et elegorum auctor Vergilii contubernalis.

[15]) Dies ergibt sich aus Sat II. 6. 40 ff. ..... Die historischen Andeutungen in dieser Satire führen auf 723 als Abfassungsjahr, etwa im Sommer; denn noch war die Schlacht

neun Monaten wurde Horatius zur Tafel beigezogen und von dieser Zeit an in den engern Kreis seiner Freunde aufgenommen. Mæcenas wollte sich sicherlich etwas genauer unterrichten lassen über die Verhältnisse des Dichters; denn einerseits zeigten seine Gedichte ihn als einen unruhigen Kopf, gegen den Vorsicht nicht schaden konnte, anderseits wusste man, dass er im Heere der Republikaner gegen Octavian gefochten hatte[16]); hauptsächlich aber scheint der üble Eindruck, den jene erste Satire im Freundeskreise des Mæcenas zurückgelassen, verschuldet zu haben, dass unser Dichter nicht gleich auf die erste Empfehlung hin im Hause des Mæcenas Zutritt erhielt[17]). In diesem Kreise nämlich glauben wir, dass Horatius Satiren zuerst bekannt wurden; denn wie er selbst sagt (Sat. I. 4. 73 f) pflegte er seine Gedichte nur einem engen Zirkel vorzulesen, was übrigens nicht ausschliesst, dass durch Abschriften die einzelnen Satiren bald ins Publikum kamen; ja es wäre sonst die Anfeindung, die der Dichter erfuhr und die grosse Zahl der Feinde und Neider gar nicht begreiflich. Es mag also der kecke Ton des Dichters, seine schonungslose Art, die Torheiten, besonders der vornehmen Welt aufzudecken, nicht immer von der reinsten Seite beleuchtet worden sein; es mag in diesem Kreise ein stilles Missbehagen entstanden und die Befürchtung laut geworden sein, es könnte dem kecken Gesellen einfallen, auch ihnen Schwächen abzulauern und diese gelegentlich dem Gespötte der Welt preiszugeben.

Um nun diesen üblen Eindruck jener Satire (I, 2) zu heben und alle Befürchtungen vor ihm und seiner Dichtgattung zu verscheuchen, schrieb Horatius die 1. Satire (I. 1.) vielleicht auf Veranlassung der vermittelnden Freunde, um eine Probe seines Talentes zu geben. Der objective Ton, in dem sie gehalten, die Wal eines moralischen Themas sollte den Freunden zeigen und eine Probe sein, welche Zwecke und Absichten er eigentlich mit dieser Dichtgattung verfolge; sie sollte indirekt dartun, dass ihr Charakter nicht böse Lästerung und Schmähsucht, sondern Harmlosigkeit und Objektivität ihr vor allem eigen sei. Mæcenas selbst sollte durch das Thema in keiner Weise unangenehm berührt werden, anderseits aber auch eine zudringliche Lobpreisung des mächtigen Gönners vermieden werden. Dass Horatius mit Mæcenas schon bekannt ist, zeigt der Eingang der Satire, dass aber das Verhältnis noch kein vertrautes, inniges geworden, glauben wir daraus schliessen zu können, dass der Dichter sich noch nicht genötigt sieht, gegen seine Neider und Widersacher und ihre Angriffe und Verleumdungen sich zu vertheidigen.

Auch weist die Komposition und Darstellung auf eine frühe Abfassung

---

bei Actium 2. September (Dio LI. 1.) nicht vorüber. Zählen wir beinahe 7 volle Jahre zurück, so gelangen wir auf Ende 716 oder Anfang 717, als die Zeit, wo Horatius in den engern Freundeszirkel des Mæcenas aufgenommen wurde und da er schon 9 Monate früher durch Vergilius und Varius vorgestellt wurde, so wäre also die erste Bekanntschaft mit Mæcenas jedenfalls Anfang 716, wenn nicht Ende 715 zu setzen.

[16]) Dass Mæcenas sich durch jene Stelle (Sat. I. 2. 25.) verletzt gefühlt und aus diesem Grunde eine gewisse Zurückhaltung gegen Horatius beobachtet habe, ist aus mehr als einem Grunde nicht glaublich. Die Alten blieben durch die Grossartigkeit der Verhältnisse erhaben über die Kleinlichkeit moderner Nachträgerei. Weber I. I. p. 126.

[17]) cf. Kirchner Horat. Satiren II. 1. p. 232.

dieser Satire hin[18]). Sie wird also in die Zeit zwischen der ersten Vorstellung bei Mæcenas und der eigentlichen Aufnahme in dessen Haus zu setzen sein[19].) Das Gedicht selbst wird den gewünschten Eindruck nicht verfehlt haben und es mag vielleicht die Aufnahme des Dichters in den engern Kreis des Mæcenas durch dieses Gedicht wenn auch nicht gerade herbeigeführt, so doch beschleunigt worden sein.

Die dritte Satire führt uns schon in eine Zeit, wo Horatius bei Mæcenas ungehinderten Zutritt hat; denn er konnte ihn schon öfter stören, wenn er las oder wenn er die Einsamkeit vorgezogen hätte. V. 63 ff.

Simplicior quis et est qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi, Mæcenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone.[20])

Sie ist die erste Satire, welche einen entschieden apologetischen Charakter an sich trägt und scheint bestimmt zu sein, den letzten üblen Eindruck, den die zweite Satire im Kreise des Mæcenas zurückgelassen, zu verwischen. Wie auf der einen Seite Vergilius und Varius nicht geruht haben werden unseren Dichter bei Mæcenas zu empfehlen und seinen Charakter und seine Dichtungsart in Schutz zu nehmen, so mögen doch unter denjenigen, die um Mæcenas Freundschaft buhlten, nicht wenige gewesen sein, die, weil sie sich in jener Satire entweder persönlich verletzt fühlten oder wenigstens die Nähe eines Menschen, der die angesehensten Personen des Staates so schonungslos geisselte, unheimlich fanden, unsern Dichter bei Mæcenas herabzusetzen bemüht waren und das schöne Verhältnis beider durch allerlei Chikanen zu trüben suchten.[21]) Wenn schon Vergilius, dieser sanfte Charakter, den Angriffen der Feinde nicht entgehen konnte, um wie

---

[18]) v. Heindorf in seiner Einleitung zu dieser Satire und dagegen H. Düntzer Kritik in II. 221 der mit Unrecht aus dem Gedichte entnehmen will, dass die Freundschaft des Dichters mit Mæcenas damals schon befestigt war.

[19]) Kirchner histor. Einleitung p. 10. cf. betrachtet V. 144 f. als schalkhafte Nachahmung v. Vergils Georg. I. 512 f. und sagt es sei die Abfassung des Gedichtes in das Jahr 719 zu setzen, in welchem Jahre nach Voss' Berechnung das erste Buch der Georgica fertig geworden sei. Diese Annahme ist durchaus unsicher. Es können ja beide dasselbe Gleichnis unabhängig von einander gebraucht oder auch beide ein Vorbild vor Augen gehabt haben. Vgl. Ennius Ann. I. 101 f.

Veluti consul, cum mittere signum
Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras
Quam mox emittat pictis ex faucibu' currus.

Auch ist die Aehnlichkeit beider Stellen durchaus nicht so gross. Die Einführung des Gleichnisses durch ut cum ist stehend cf. Georg II. 479, III. 237 Aen VII. 86. Sonst gleichen sich nur carceribus missos und instat (fertur) equis auriga. Auch herscht an beiden Stellen eine verschiedene Auffassung. Vergilius will den Ungestüm und die rasende Wut der wettrennenden Pferde schildern, sobald sie auf das gegebene Zeichen aus den carceres in den Raum des Cirkus herausgelassen sind; Horatius will damit sagen, dass beim Wettrennen ein Wagenlenker dem andern zuvorzukommen trachtet.

[20]) Kirchner Hor. Sat. II. 1 p. 108 will diese Worte nicht auf Horatius bezogen wissen denn dergleichen Indiskretion hätte ihm beim vornehmen, schweigsamen Mæcenas wenig zur Empfehlung gereicht — sondern meint, er habe hier einen importunus auf dem Korne, für den er seine eigene Person unterschiebe, um den Scherz desto pikanter zu machen. Eine ganz müssige Annahme. Vgl. übrigens über verschiedene Auslegungen dieser Stelle Düntzer Kritik II. 98 ff.

[21]) Vgl. Grotefend im Philol. 1847 p. 284 f. der aber unbegründeter Weise eine Feindschaft zwischen Horatius und Propertius constatirt. v. Teuffel Litt (3) p. 438, Note 5 f.

viel weniger darf uns dies bei Horatius wundern, der die Torheiten der römischen Welt so freimütig tadelte, so unbarmherzig geisselte.[22]) Man wird nicht ermangelt haben, jenen Vers (Sat. I. II. 25) immer hervorzuziehen, man wird nicht aufgehört haben sich zu verwundern, wie Mæcenas einem Menschen, dessen Herz voll Gift und Galle sei, seine Freundschaft schenken könne, man wird nicht unterlassen haben darauf hinzuweisen, dass ein Mensch, der die ganze Welt anfalle, auch der intimsten Freunde nicht schonen werde.

Unser Dichter fühlte sich also veranlasst, durch ein besonderes Gedicht ein richtiges Urteil über seine Art und Weise, die Fehler Anderer lächerlich zu machen im Kreise des Mæcenas zunächst zu verbreiten und er konnte die Besorgnisse seiner Freunde wegen seines freisinnigen Spottes auf keine bessere Art zerstreuen und die Verdächtigungen seines Charakters von Seite seiner Gegner nicht schlagender zurückweisen, als durch die Mitteilung seiner Grundsätze, wie man die Fehler Anderer und besonders seiner Freunde beurteilen müsse. Die Satire sollte zeigen, dass, während Horatius die Laster und Verkehrtheiten seiner Zeitgenossen geissle, doch sein Herz rein und für wahre Freundschaft empfänglich sei und dass er durchaus nicht der Mann sei, vor dem man sich fürchten müsse, da er sich von jeder Neigung zu böswilliger Anfeidung und Schwarzseherei frei wisse.

Die Humanität und Milde der Gesinnung, die in dieser Satire in der schönsten Weise sich offenbart, wird gewiss jeden Schatten von Verdacht aus den Herzen und Gemütern seiner Freunde verbannt, ihre und besonders des Mæcenas Zuneigung für immer gewonnen und ihr Vertrauen zu ihm befestigt haben.[23])

Der Dichter führt uns hier wieder jenen saubern Vogel Tigellius vor, dessen Ableben alles Lumpengesindel in Rom tief betrauerte (Sat. I. 2. 1 ff), knüpft also scheinbar an die zweite Satire an. Indem er nun dessen Wunderlichkeit in der Verfolgung von Extremen hervorhebt, da er bald auf dem Fusse eines Königs lebte, bald wieder den Eingezogenen spielte, lässt er sich (V. 19) den Einwurf machen: He, lieber Freund! hast du denn keine Fehler, keine Inconsequenzen wie Tigellius aufzuweisen? Dies gibt dem Dichter Veranlassung zu erörtern, dass man Andere oft tadle wegen Fehler,

---

[22]) v. Weichert poet. lat. p. 274 ff.

[23]) Dacier Oeuvres d'Horace Paris 1709. I. p. 188 und 199 f. will aus V. 29—34 die schon vom Schol. Acro auf Vergilius bezogen wurden, wogegen mit Recht Madvig opusc, p. 63 f. Düntzer Kritik p. 186 f. — Bentley sieht darin vielmehr eine Charakteristik unseres Dichters selbst — einen ganz einseitigen Zweck dieser Satire ableiten. Er glaubt nämlich sie sei bestimmt gewesen seinen Freund Vergilius gegen die Spöttereien der Höflinge bei Augustus über dessen schüchternes Auftreten und schlumpiges Aeussere zu vertheidigen. Grotefend bei Ersch und Gruber Horaz p. 461 hält sie für eine Vertheidigung des Dichters gegen den Vorwurf seines Jähzornes (Ep. I. 20 25) und seines öfteren Verstosses gegen den feinen Ton der vornehmen Welt (Ep. I. 1. 94 ff.). Sanadon les poesies d' Horace Paris 1728 II. p. 192 sagt, diese Satire bekämpfe die Ansicht, dass alle Fehler gleich sind. Wieland dagegen Hor. Sat. Leipzig 1787 I. 78 f. sieht gar eine politische Tendenz darin; es habe nämlich Horatius durch diese Satire zur Verbesserung der römischen Sitten beitragen wollen, um die in den Zeiten der freien Verfassung begründete Unart, sich selbst nachsichtig, andere aber schonungslos strenge zu beurteilen, zu bekämpfen und Sanftheit und Gefälligkeit der Sitten einzuführen. Doederlein Hor. Sat. p. XII. nennt sie eine Lobrede auf die Toleranz, nicht eine Satire auf die Intoleranz,

die man selbst vielleicht in grösserem Masse an sich trage und hiemit ist er zur eigentlichen Frage gekommen, wie man sich den Fehlern der Freunde gegenüber zu verhalten habe.

Wie glücklich, sagt er, könnten Freunde zusammenleben, wenn sie bei gegenseitiger Beurteilung ihrer Fehler sich nicht zu Splitterrichtern aufwerfen wollten. Wenn sie es auch nicht so machen sollen wie blinde Liebhaber, die selbst an der Entstellung ihrer Schönen Gefallen finden, so sollen sie wenigstens die Väter sich zum Beispiele nehmen, die die körperlichen Mängel ihrer Söhne mit beschönigenden Attributen bedecken: den Schielenden nennen sie Schmachtauge, den Zwerg Küchlein, den Krummbeinigen Teckelchen, den Klumpfuss Humpelchen. So gewinnt man Freunde, so erhält man Freunde. Leider gibt es aber eben viele Freunde, die es gerade umgekehrt machen; sogar wirklich gute Eigenschaften werden verkannt und in Untugenden verwandelt. Ist einer bescheiden, heisst er phlegmatisch, ist einer schüchtern, heisst er ein Tölpel. Dadurch müssen aber notwendigerweise die Principien eines freundschaftlichen Zusammenlebens untergraben werden. Vernünftiger Weise müsse man, wenn man Nachsicht für seine eigenen Fehler verlange (und kein Mensch ist ohne Fehler) dieselbe auch anderen angedeihen lassen, und indem man Vorzüge und Fehler der Freunde gegenseitig abwägt darnach auch seinen Tadel einrichten. Zum Schlusse wird die Anwendung des stoischen Satzes „Omnia peccata paria," womit einige aus falschem Missverstande ihre lieblose Beurteilung des Nächsten bemänteln wollen, als unberechtigt und als der Vernunft, dem Gefühle, der Sittlichkeit und Wirklichkeit widersprechend zurückgewiesen.

